



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Scipio Claromontius De Ratione Status**

**Chiaramonti, Scipione**

**[S.l.], 1679**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10064**









S  
VI. 5.  
5

Th. 4313.




Della ragion distale  
Septalium Linn.





3







*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



Reverendissimo Celsissimoqz

Principi

FERSINANDO

Episcopo Monasteriensi

&

PAderbornensi

S. R. I. Principi

Comiti Tyrmontano & Lib.

Baroni de Furstenberg

Devotè mente  
offerò

Joannes Garmes



SCIPIO CLAROMONTIUS!  
DE  
**RATIONE STATUS.**

**JOANNES GARMERS,**

De  
Italico in latinum convertit,

Dicavit q;

*Ex legato Celsi Principis AC*  
*SERENISSIMO PRINCIPI*  
*DOMINO Ferdinandi Epi. Pad. et Mon.*

**CHRISTIANO LUDOVICO,**

Duci Meklenburgico, Principi Vandalorum, &c. &c.



**HAMBURGI, Typi Pfeifferianis,**

Sumptibus Auctoris.

Anno M DC LXXIX.

*Collegii Societ. Jesu Paderbor. 1683.*





SERENISSIMO PRINCIPIS  
 JOHANNIS DOMINI  
**CHRISTIANO**  
**LUDOVICO**  
**DUCI MEKLLENBURGICO**  
 Principi Vandalorum, Suerinensium &  
 Raczburgi, Stargardis, & Roschepiensium  
 Domino, & Ord. Christianissimi Regis  
 Equiti &c, &c.

Domino meo Clementissimo.



NIME PRINCEPS, QUI ME IMPULSERUNT PRAE  
 LATINIS DONATA INSCRIPERIM, MAGNA-  
 MINI STRUM HANC POLICUM A ME  
 UOB CESTIMO TUO NO.





SERENISSIMO PRINCIPI  
<sup>Ac</sup>  
DOMINO  
CHRISTIANO  
LVDOVICO,  
DUCI MEKLENBURGICO,  
Principi Vandalorum, Suerinensium &  
Razeburgi, Stargardiæ, & Rostochiensium  
Domino, S. Ord. Christianissimi Regis  
Equiti &c. &c.

*Domino meo Clementissimo.*



Quod Celsissimo Tuo No-  
mini librum hunc politicum a me  
latinitate donatum inscripserim, MAGNA-  
NIME PRINCEPS, duæ me impulerunt præ  
aliis

X 2



alijs causæ, quarum altera est, quod regiam  
hanc scientiam & ipse calleas planissimè, &  
haud vulgariter ea capiaris; altera quod nihil  
majus mihi sit, quibus tot in me meosq; o-  
stensis singularis CLEMENTIÆ documentis  
condigne respondere possim. Multum est  
apud peritos & rerum intelligentes loqui,  
ut constans est omnium prudentum senten-  
tia: enimvero illi & facilius capiunt, quæ  
benè cogitata dicuntur, & vim dictorum  
sentiunt rectius, & quod potissimum est,  
sincerius judicium reddere possunt. Jacet  
indigno ut margarita quondam loco, cum  
escam quærens pullus gallinaceus eam inve-  
niebat, quando liber doctus ab imperito-  
rum tangitur manibus, nec ad splendorem  
suum redit unquam, nisi quis doctrinæ quæ  
continet cupidè, oculis eam suis subjecerit. De  
Sarmatis fama est, cum Batavi Mercatores  
argenteos nummos pro mercibus obtulif-  
sent, dentibus illos momordisse, & pretio i-  
gnorato



gnorato, quod inutiles & molestos sibi fu-  
turos credidissent, noluisse accipere, sed  
reddidisse offerentibus. Quod si pretii il-  
lius scientibus & cupidis fuissent traditi, &  
avidissimè recepti, non utiq; tam vili ha-  
biti fuissent. Par ratio est librorum eruditorū,  
in quorum numero hic, qui SERENITATI TUÆ  
offertur merito est collocandus, qui si alii  
quam Tibi DOMINE CLEMENTISSIME offerre-  
tur, forte eandem cum nummis illis argen-  
teis subiret fortunam. Fuit Italicum scri-  
ptum honori & memoriæ CHRISTIANÆ na-  
tæ ex antiqua stirpe Regia Ducum Lotharin-  
giæ, viduæ Magni Ferdinandi Magni Ducis  
Hetruriæ, dicatum: offertur versio latina  
Magnanimo Principi CHRISTIANO nato ex  
antiquissima familia Meklenburgica, quæ  
Reges dedit & Regibus nupsit, cujusque  
fidus præsens lucet inter reliquos principes

*Velut inter ignes  
Luna minores.*

UNIVERSITÄT  
PADERBORN

)( 3

Si



Si peritiam Tuam hujus scientiæ collaudare vellem, ut autor CHRISTIANÆ fecit pluribus, nimio obsequio me abripi videri possem: si librum hunc acceptum habebis, patierisq; in Tuo delitescere sinu, satis argumenti erit, & scire Te scientiam hanc, & imagines rerum, per quas vivas Tu dudum pleno gradu ivisti, nihilominus Te delectare. Accipe itaque MAGNANIME PRINCEPS librum hunc a meis manibus, ut devotæ mentis pignus, & tot beneficiorum acceptorum memoris signum, illumque eo intueri vultu, quem Phidias ait Jovem habuisse, cum eum vidit serenum. Hanc si ego impetravero gratiam, post tot Voluntatis Tuæ in me Clementissimæ documenta, lætabor admodum, daboque operam strenuè, ut gratia I ANTI PRINCIPIS dignum me fuisse res ipsa loquatur. Vota quæ pro Te, MAGNANIME PRINCEPS, suscipimus quotidie, scilicet ut summum Numen,

men,



men vitam longam, valetudinem incon-  
cussam, regimen quietum & æternam feli-  
citatem Tibi largiri velit, DEUS confirma-  
bit, cujus gratia stamus omnes, & omnes no-  
stræ res & facultates.

Serenissimæ Tuæ Cel-  
situdini

Hamburgi, die  
Christiani Anni  
MDCCLXXIX.

*ad omnia obsequia*

*devotissimus*

JOANNES GARMERS.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text in the middle of the page.

Third block of faint, illegible text, appearing to be a list or table of contents.

JOANNES GARNIER





B. L. S.



Um destinassem dudum terminum, politicis statuere operibus, nec lustris tribus, & quod excurrit, in hac materia amplius in publicum prodierim, jam etate pro- vectior consilium tacito coactus sum damnare corde. Non tamen velim quispiam existimet, quod levitas mihi & prurigo quadam causam scribendi iterum dederit; dedit ratio certa, eaq; potissimum, quod adeo eruditum scriptum ante lustra quinq; in latinum a me conversum noluerim ulterius, ob linguam, qua illud scripsit autor, imperitiam, doctis & rerum politicarum cupidis invideri. Credideram, cum edito Septalio, non solum ipse commendaverim admodum Claromontium, sed & Magni Viri Naudai spem de libro hoc non sibi viso conceptam plane aperuerim, futurum, ut quispiam curiosior, & studio politico impense deditus, ad vertendum illum de Italico potuisset impelli: at spes delusa, ut palam est,

) (

post



post tot exacta lustra, coegit me ad priores redire labores, & quod olim verteram lingua addiscenda gratia, nunc horis subcisis, & hyberno maxime tempore non nihil expolire. Taceo, quod identidem a Viris eruditis, meiq; & meorum scriptorum, amantibus idq; non a paucis compellatus scripto fuerim, largirer tandem erudito orbi labores hosce, nec temere supprimerem. Ut nunquam scriptum quoddam prodiit, ex quo non aliquid utilitatis redundarit ad lectorem; ita confido etiam futurum, ut hic commentarius gravissimi alius scriptoris, & qui non in hac & morali doctrina, sed & in aliis materiis se solertem dedit, ut Viri celeberrimi de ipso testantur, utilitatis non mediocri fructum si prabiturus. Autorem non animus est ulterius commendare, tutabitur is locum suum sine me, nec vi- no vendibili opus esse credo suspensa hederam. Ex- perire B. L. & vacuo solutoq; pectore perlege iterum i- terumque de tanta re differentem Claromontium, certus sum, laudaturum Te autorem, & meus quos- cunque conatus, nisi livor tuum obsedit pectus, aut tibi est volupe obtrectare cuncta: imo gaudebis scio, tanta doctrina, tantique usus scriptorem tan- dem

5 X



dem aliquando donatum antiquo Latij sermone in pu-  
blicum prodiisse. Quod si eum malignitas obtre-  
ctare volet,

Imitari dum non possit, obtrectet licet.

Parta jam laus est auctori, quod Viri undi-  
quaque habiti doctissimi, admirati ingenium gra-  
vissimi scriptoris, labores illius iterum recudi cura-  
verint, suoque perfuderint succo, & sic dignum  
longa judicaverint memoria. Igitur jam in littera-  
rum plausum, nec malevoli valebunt ipsius laudes  
sufflaminare.

Quis fuerit auctor, si scire cupis L. B. dicam: fuit  
Cesenas, in civitate olim libera natus, quam par-  
tium studium perdidit, ut alias claras Italia repu-  
blicas: cujus identidem meminit in scripto hoc au-  
tor ipse, detestatusque est non vulgariter, dari cives  
tam immemores sui fortunarumque patriae, ut illam  
funditus everfam malint, quam suam non explere  
libidinem, & conceptam in cives suos iram evo-  
mere. Nunc tacite tristem gemunt fortune vi-  
cem, improboque premuntur imperio, & antiquae  
libertatis memoria voces illis tamen cum dolore ex-  
primit.



Studiis philosophicis assidue fuisse deditum, doctissima illius loquuntur scripta, & quantum nobis constat, sibi vixit; noluit enim esse alterius, quoniam suus esse potuit. Amasse illum præ cæteris Venetos & Estensium Duces, liquido ex scriptis apparet; non enim semel invidendam illorum facit mentionem; & credendum est, Hos etiam præ aliis forte virtutum, & doctrinæ illius fuisse æstimatores maximos. Italum scriptum honori & memoriæ Magnæ Christianæ, nata ex regio & antiquo stemmate Lotharingiæ ducum dedicavit, tum vidua defuncti M. Ducis Hetruriæ Ferdinandi primi, quem Magnum vocarunt rerum Hetruriæ scriptores. Illam ob peculiare ingenii dotes, & singularem rerum civilium peritiâ non vulgariter laudibus extollit. Et cum tertium sola ad clavum imperii sederit, primum defuncto conjugæ, altera vice defuncto filio Cosmo, & tandem præmaturis adhuc ad imperium annis Ferdinandi Nepotis, non dubitandum est, quin prudentissima fuerit femina, quam tertium tam grave & olim vi occupatum imperium proceres imperii sine turbis regere siverint.

Sed ut ad autorem redeam, & librum ipsum, meminit



meminit ille sapius rerum Medicarum, & idem-  
tidem comparat ex hac arte desumpta cum rebus ad  
politicam prudentiam pertinentibus, idque tam apte,  
tam concinne, ut me fecerit suspicari, hujus artis  
etiam ipsum fuisse peritum; idq; eo magis, quod mo-  
rales libros ad methodum, qua Medica tractatur  
ars, composuerit. Enimvero facit mentionem in  
libro hoc sapius suæ moralis doctrinæ physiologica,  
semitica, hygiæ, & therapeutica, ex quibus libris  
non fruimur nisi semiotica gratia summi Viri Her-  
manni Conringij, reliqui adhuc nobis inviden-  
tur, quod dolendum.

Quid ex libro hoc boni sperandum sit, quid  
de ceteris expectandum, series capitum operi præfixa,  
& autoris præfatio & introductio aperiet. Si o-  
tium erit, & vitam concesserit DEUS, non mora-  
bor cupidos, & rerum politicarum amantes, sed quam-  
primum fieri poterit per occupationes majores, exple-  
bo illorum animos & desiderium, faciamq; ut in re-  
liquis quoq; se oblectent.

Quinimò & iteratam editionem librorum Septa-  
lii de R. S. polliceor, politiores & auctiores an-  
notationibus meis novis, aliisq; huc spectantibus. Quam  
dudum,



dudum iterum dedissem in publicum si per occupatio-  
nes graviores licuisset: at cum acceperim, quendam  
Lipsiensem bibliopolam me invito & inscio eos cu-  
rasse imprimi iterum, quod illi vortat male, cura  
sua scatenentes nunc mendis innumeris, sicque non eru-  
buisse meos furari labores, iniquo & impio exemplo,  
maturabo novam editionem, ne bis peccare illum sit-  
nam, mihi meos labores surripiendo, & tibi num-  
mos. Est enim vitiosa & mendosa editio, ut osten-  
surus sum, par Annalibus habenda Volusius.

Tu B. L. fruerere interea his, & favere perge  
illius laboribus, cui nihil magis volupe est, quam tuis  
quam maxime servire commodis. Vale.  
Scribebam Hamburgi die Justinae. Anni M DC.  
LXXIX.

Emen-



## Emendanda.

P. 1. l. 10. lege ad errores.

P. 35. l. 16. leg. reipubl. ibidem l. 2). l. rep.

P. 75. l. 6. l. legum.

P. 79. l. 12. l. quam illorum, qui secedebant.

P. 96. l. 12. leg. dimidiam.

P. 105. l. 18. leg. super.

P. 106. l. 12. l. quas.

P. 116. l. 25. l. campo.

P. 122. l. 17. l. nisi pro absque.

P. 140. l. 26. l. reddat pro ferat.

P. 142. l. 3. l. cædi, & paulo post cæderentur.

P. 176. l. 8. l. egenos.



Eminentibus

1. ...  
2. ...  
3. ...  
4. ...  
5. ...  
6. ...  
7. ...  
8. ...  
9. ...  
10. ...




CAPITUM.

<i>Capita Partis Secundæ.</i>		
<b>C</b> ommunis Origo extraordinaria utilitatis.	I.	tus, & quod non sit ostenditur. Et de quinta objectione, adversus differentiam in definitione positâ, VII.
De accessione interna.	II.	Censura definitionis Fracchettæ secundum Auctorem, VIII.
De extraordinaria utilitate.	III.	Definitio Ammirati ejusque fundamenta, IX.
<i>Capita Partis Tertiæ.</i>		
<b>D</b> istinguitur, & determinatur significatio utilitatis apparentis.	I.	In quot, quantisque rebus, ab aliis reprehendatur dicta doctrina Ammirati, X.
De Dispositione ad id, ut quis possit decipi.	II.	Examen objectorum à Bonaventura contra Ammiratû adductorû, XI.
De Habilitate ad decipiendum.	III.	Improbatio definitionum Ammirati, secundum opinionem, & fundamenta auctoris, XII.
De mediis decipiendi.	IV.	Proponitur definitio Frid. Bonaventuræ, & exponitur genus in ea positum, quod est bona Consultatio, XIII.
De ipsis politicis deceptionibus,	V.	Exponuntur differentiæ definitionum, XIV.
<i>Capita Libri Tertii.</i>		
Introductio, & distributio dissertationis de Ratione Status.		Progressio Bonaventuræ ad formandam suam Rationis status definitionem, & primò quantum ad genus remotum, XV.
<b>D</b> efinitio Boteri, & quomodo nonnulli eam reprehendant. Cap. I.		Examen binarum positarum conclusionum, & earum fundamentorum, XVI.
Diluuntur objecta Bonaventuræ adversus definitionem Boteri.	II.	Tertia conclusio Bonaventuræ: quod Consultativa genus proximum sit Rationis status, illiusque fundamentum, cap. 2. lib. 4. XVII.
Fundamenta auctoris ad reprobendam definitionem Boteri allatam; & jungitur nova distinctio significationum vocis Ratio Status.	III.	Examen tertiæ conclusionis, quod genus proximum Rationis status sit Consultatio; & fundamentorum ejus
Persistitur in reprobanda definitione Boteri de ratione Status.	IV.	
Definitio Fracchettæ, & quomodo ab aliis reprehensa sit.	V.	
Utrum Rationi apparenti status attribui possit relictio regulæ: quæ objectio tertia est adversus Fracchetam.	VI.	
Utrum Pædia genus sit Rationis Sta-		



SERIES CAPITUM.

ejus.	XVIII.	Jus verum extraordinarium ad quem habitum reducatur.	XXX.
Reliquum processus definitionis, ejusque fundamentorum : & examen eorum remittitur ad ea, quæ dicta sunt.	XIX.	Definitiones Rationis status in his significationibus habitus, qui respiciunt jus status : & ostenditur, quod alii quoque quadamtenus eas noverint.	XXXI.
De definitione, sive de illius partibus, quæ ex hæctenus instituto examine non apparent, indigentque cura, ut præ cæteris observentur.	XX.	Definitio Rationis status ut habitus est, qui respicit utile commune verum.	XXXII.
Ordo servandus in definienda Ratione status.	XXI.	Definitio pravæ Rationis status.	XXXIII.
Dubitatio circa definitionem, ejusque Solutio.	XXII.	Descriptio habitus Rationis pravæ status in significatione sua exquisitiore, quæ est de ratione Tyrannica, ut S. Thomas eam descripsit.	XXXIV.
Definitio Rationis status cum significat Jus verum extraordinarium.	XXIII.	Quomodo Politica, & Ratio status inter se differant.	XXXV.
Expositam Rationem status cognitur esse difficilem, ideoque plurimas includere difficultates.	XXIV.	Dubitatur, utrum omnes significationes Rationis status comprehensæ sint sub datis definitionibus	XXXVI.
Definitio Rationis status sumptæ pro Justo, sive Jure apparente, & personato.	XXV.	De proprietate, & attributis Rationis status, ejusdè bonitate, & pravitate: utrum prave ea uti possint imperantes, & num solus Princeps, an vero alii quoque eam adhibeant: quomodo comparetur, & quæ sint ejus axiomata.	XXXVII.
Definitio Rationis status sensu utilitatis apparētis, & personatæ	XXVIII.	Utrum Præcis cognita fuerit Ratio status,	Cap. ultimum.
Ad quem habitum reducatur Jus verum ordinarium.	XXIX.		





# SERIES CAPITUM

totius operis.

Præfatio & Introductio.

Lib. Prim.

Part. I. Capita.

- P**Ræmittitur expositio vocum civitatis, Reip. sive status. Cap. I.
- Ex qualib. & quot rebus, Resp. quædam formetur, sive status bonus: vel Jus verum, & commune status qua in re consistat, & ex qualib. partib. proveniat. II.
- De fine legis & Imperii quatuor sentiendi modos existere, sive quatuor opiniones. III.
- Exponitur, quis verus & optimus finis sit, ex quatuor recensitis. IV.
- Exponitur, quæ & qualisnam sit felicitas, quam Politici finem legis ponunt, utrum in sensu colectivo, an distributivo. Et dissidium in ea re Platonis cum Aristotele. V.
- Utrum finis legum jam expositus sit absolutè justus, & semper talis, & demonstratur, dari finem naturalem, & supranaturalem. VI.
- Non esse admittendam ob utilitatem politicam, ullam veræ religionis corruptionem: at casum incidere, cum prava jam introducta preferenda est. VII.
- Quod licet verus finis constitutus sit, nihilominus considerandæ sint cæteræ tres sententiæ de fine legis, & quam ob rem. VIII.
- Proponitur examinanda opinio: quod utilitas Imperantis finis rectus sit, & verus legum. Distinguuntur significata, & argumenta pro illa opinione afferuntur. IX.
- Quod forma Reip. ejusdèq; conservatio, non sit finis ultimus legum quomodo sit finis subordinatus, & proximus ultimo, in optima republica. X.
- Dissolvuntur argumenta *cap. octavo* prolata, quod forma status, ejusdemq; stabilitas, legum finis sit. XI.
- Quod princeps, vel Imperans, non sibi proponere potest proprium suum commodum pro fine: attamen querere illud potest, & de modo binæ afferuntur opiniones, una quod per accidens solum, altera quod per se etiam. XII.
- Exponuntur vocabula utilis, experibilis per se & per accidens: & afferuntur argumenta pro confirmanda sententia, quod princeps solum per accidens utile debeat expectere. XIII.
- (I.) Ponit



SERIES

- Ponitur, probaturque vera opinio, quod Princeps bonus expetere possit, & querere utile suum proprium per se. XIV.
- Dissolvitur primum argumentum nobis adversum ab auctoritate Aristotelis desumptum: & exponitur verus Aristotelis sensus cap. 4. lib. 3. polit. de divisione Imperiorum. XV.
- Dissolvuntur reliqua tria argumenta contraria. XVI.
- Epilogus eorum, quæ dicta sunt de legum fine, & optima Rep., eorundemq; explanatio absolvitur. XVII.
- Quomodo, & in quam Rep. Justum sit, proponere sibi scopum hunc, cives reddere bellicosos, & invadere alios Principatus. XVIII.
- Quomodo, & in quam Rep. æquum sit, subsistere in eo fine, ut pax & concordia mutua sit inter cives: qui alter dicendi modus erat. XIX.
- Quomodo tres dicti scopi ad invicem se habeant, & quomodo qui illis oppositi sunt: & quod prava Resp. ferenda sit, neque adversus illam insurgendum auctoritate privata. XX.
- Divisio Rerump. in suas species, secundum Platonem, Aristotelem, & Polybium. XXI.
- De discrimine boni & pravi finis, & quod illud essentialiter sit, adversus Bodinum ostenditur. XXII.
- Differentiam a paucis & multis desumptam non esse essentialiter: at vero illam a pauperibus & divitibus. XXIII.
- De prava Reip. divisione Bodini, ejusdemque usu pravo vocabuli Aristocratia: & de aliorum quorundam divisione. XXIV.
- Subdivisio bonarum rerump. & cum primis Aristocratia, sive Optimum status, qui uberius exponitur. XXV.
- De Rebus publ. mixtis Opinio Aristotelis, Platonis, videlicet quod dantur. Hisque omnibus contraria Bodini opinio, quod non dantur: hujusque rationes. XXVI.
- Quod mixta detur Resp. ejus veritatis fundamentum affertur. XXVII.
- Diluuntur argumenta Bodini. XXVIII.
- Quanam, & quot sint conditiones Reip. justæ. XXIX.
- Quando non concurrunt, instinctus naturalis ad parendum, & habitas ejus, qui regere debeat. XXX.
- Unde sit naturalis populi propensio, quod huic, vel illi imperio subesse velit. XXXI.
- Propensio, quæ ex consuetudine est. XXXII.
- De Dispositione, quæ ex accidenti quodam est. XXXIII.
- Non sufficere ad perfectam justitiam formæ, ut Resp. bene constituta sit, si imperium quoque & administratio non illi consonet. XXXIV.
- De majestate, & quo studio confer-



CAPITUM.

- vanda sit à quolibet Principatu. XXXV.
- De Justitia distributiva. XXXVI.
- De Merito, quantum ad publica bona, quæ distribuenda sunt. XXXVII.
- De Merito, quantum ad onera. XXXVIII.
- De pœnis, & quomodo pertineant ad Justitiam distributivam. XXXIX.
- De ratione irrogandi pœnas, earumque gravitate. XL.
- De fine pœnarum etiam capiuntur earum gradus prout infligendæ delictis. XLI.
- De Justitia commutativa. XLII.
- De cura, ejusque partibus, quæ Principi pro Justitia commutativa gerenda est. XLIII.
- Abstinentia Principis à facultatibus Subditorum. XLIV.
- Injustitia, quæ versatur in occupatione status aliorum. XLV.
- De injustitia in violanda fide. XLVI.
- Argumenta, quare Princeps non teneatur fidem servare, eorumque solutiones. XLVII.
- Oppugnatur illud, cum debitum, quo privatus privato obstrictus est, debitori condonatur: itidem cum debitori tempus sive mora conceditur. XLVIII.
- De Electione honorû Judicium. XLIX.
- De impedimentis, quæ justitiæ administrationi moram inferunt, & privatum quæ propter potentiam debitorum obveniunt, ejusque rei remedia. L.
- Impedimenta, quæ Justitiæ moram inferunt per artificia, & fraudes Causidicorum, & ministrorum: & earum rerum remedia. LI.
- Capita Partis Secundæ.*
- D**E Justo extraordinario, hoc est, contra, vel supra justum ordinarium. Cap. I.
- Examen locorum, in gratiam meæ asserptionis adductorum, ab auctoritate Ciceronis: ubi differentia ponitur, inter rem injustam facere, & non justam rem facere. II.
- De æquitate, pro uberiori expositione justæ proprii. III.
- Refutatur eorum opinio, qui omne illud justum putant, quod statui utile est. IV.
- Capita Partis Tertiæ.*
- D**E Justo Status apparente & personato. Introductio. Cap. I.
- De fine apparenter & non verè justo. II.
- Quomodo Majestas inducatur. III.
- De Specie Justitiæ fucata in acquisitione Tyrannidis. IV.
- De furo administrationis Tyrannicæ, ut fiat in speciem justæ. V.
- De Principatu Despotico. VI.
- De simulationibus ad honestandum, efficiendumque, ut appareat justus status paucorum, qui Græcis Oligarchia est. VII.



## SERIES


De speciebus Status paucorum. VIII.	De Emendatione Reipublicæ. XIII.
Regressio ad fucos, & simulationes. IX.	De Mutatione Rerump. ejusque causis illuc facientibus, & finalib. XIV.
De Democratia, sive statu populari pravo, ejusque speciebus. X.	De causis efficientibus & impulsivis. XV.
De simulationibus, & fucis Democratia. XI.	De Mutationibus Rerump, in specie, earumque causis. XVI.
De Distributione, ejusque fucis. XII.	De Conservatione Rerump. XVII.
De Jurisdictione commutativa, ejusque administratione fucata. XIII.	De iisdem mutationibus, & conserva- tionib. dissertatio, deducta ex primis principiis. XVIII.
De Justo Extraordinario, & Superor- dinario. XIV.	Judicium interpositum rebus dictis, una cum monitis necessariis ad prudenter imperandum. XIX.

### *Capita Libri Secundi*

#### *Partis Primæ.*

<p><b>I</b>ntentio, &amp; distributio libri. Cap. I.</p> <p>De Disciplina, sive educatione, sive Institutione publica ad virtutem, Aristoteli &amp; Platoni dicta Pædia. II.</p> <p>De Corporis Exercitatione. III.</p> <p>De Musica. IV.</p> <p>De bona assuefactione puerorum. V.</p> <p>De institutione intellectus practici, &amp; speculativi. VI.</p> <p>De removendis exemplis morum pra- vorum à civibus, &amp; præsertim à pueris, &amp; Juvenibus. VII.</p> <p>De facultatibus, quæ ad vitam requi- runtur. VIII.</p> <p>De cura proventuum, &amp; bonorum, quæ provenire possunt ex propriis terris. IX.</p> <p>De Mercatura. X.</p> <p>De Moneta, ejusque cura, quæ Prin- cipi incumbit. XI.</p> <p>De Constitutione Reipublicæ. XII.</p>	<p>De mutatione formæ Reip. quæ fit, ut non animadvertatur. XX.</p> <p>De mutatione formæ administrationis Reip., salva nihilominus forma, e- jusque remedia. XXI.</p> <p>De pecunia, &amp; proventibus publi- cis. XXII.</p> <p>De utilitate, &amp; damno, quæ Reip. acci- dunt à potentiis externis. XXIII.</p> <p>De persequendo, &amp; gerendo bello, de eodemque finiendo. XXIV.</p> <p>De Pace, induciis, fœdere, amicitia publica. XXV.</p> <p>De mediis, &amp; modis ad obtinendam, conservandamque pacem cum a- liis Principatibus. XXVI.</p> <p>De Consideratione per comparatio- nem, sive deliberationem instituta: an Pax simplex melior sit, an fœdus, vel amicitia. XXVII.</p> <p style="text-align: right;"><i>Cap.</i></p>
---	---





# PRÆFATIO

ET

## INTRODUCTIO.



Es plurimæ interdum sine arte rectè peragi possunt: at contra artem nulla res unquam. Ita videmus quosdam destitutos Logica arte, nihilominus non paucas veritates, magna ingenii dexteritate & rectè quæsisse, & abundè satis invenisse. Verum enim vero, qui in scientiarum tramite adversus ejusdem regulas processit, semper in errores non leves offendit. Quod cum primis deprehenditur in scriptis plurimis, qui de Ratione Status circumferuntur: quæ quamvis perbene multa numero sint, eorumque nonnulla ingeniorum excelsorum, & doctorum scriptorum opera: attamen revera dici potest, quod adhuc intricata magis quam plana, obscura magis, quam dilucidè expedita ejus sit cognitio. Nec alia, sive ad eò præcipua causa est, quam quod in hunc diem erraverint in præcepto quodam Logico: quod exigit, ut si vocabulum quoddam plurium significationum obveniat, (æquivocum illud appellant Scholæ) principio in suas distinguatur significationes, antequam ad illud definiendum veniamus. Quoniam itaque æquivoca vox est, Ratio Status, ut postea intelligemus, negari non potest, aberrasse eos, qui de illa scripserunt: enimvero haud prævia distinctione debita, tentarunt dare nobis communem quandam ejus definitionem. At conatus irritus existit, licet ma-

\*

gnus



gnus fuerit, & virorum præstantium. Nullus enim invenit, attulitque definitionem, quæ omnibus illius differentiis æque ac diffusæ notionis latitudini competat: quoniam neque inveniri potest, quod revera non existat. Cum itaque sperem, posse ex distinctione, adhuc neglecta, lumē clarum præferri cognitioni huius materiæ, cuius multum interest in bono regimine statuum, in me suscepi de ea scribere, facta membratim partitione: inquirens naturam illius in quavis significatione seorsim, ne utiquam verò in communione confusa nominis, quod pura vox est. Agnosco molem operis, quod suscipio: fateor virium mearum debilitatem. Nihilominus cupio etiam ego descendere ad indagandam rem tam eximiam, qualiscunque ea sit peritia, quam studia politica, & usus aliqualis rerum publicarum, per annos quàm plures, impertiri mihi potuerunt. In regium thesaurum feruntur tributorum non modo amplæ portiones, solutæ à divitibus, sed minutæ quoque datæ à pauperibus. Equidem omnē laborem per bene collocatum putabo, dummodo quidpiam lucis attulero, etiam si non multum sit, cognitioni adeo dignæ & tam utilis materiæ. Nec reperitur imperitia inter humanas, quæ tantum noceat hominibus, quam perversæ opiniones in materia regiminis in animis imperantium: quas propter illi in brutum eum sophistam transmutantur, quem Plato descripsit, qui potius suavi sermone, quam argumentis fallacibus perducit subditos ad credendum, & faciendum quantum ille falsi adfert, & pravi commendat. Curabo ut opus procedat ordine, utque ex veris principiis Politicis, à Philosophis non solum, sed à ministris quoque status admissis, tendat ad conclusiones. Detegetur vera & recta Politica, utilis æque imperantibus, quam parentibus. Delineabitur quoque apprensens Politica, non ut quispiam eam amplectatur, sed ut evitetur à Principibus. Et à subditis (si in eam incidant) agnoscantur propria peccata, in quorum pœnam Deus permittit tam grave flagel.

Plato lib. 6. de Justo.



flagellum: cum ipsa dicat S. Scriptura, (1.) quod *Deus faciat regnare hominem hypocritam propter peccata populi*: & sic eorum ipsos poeniteat, & vera eadē poenitentia delcant. Etenim placatus Deus aut regem dabit illis meliorem, aut eundem Regem ex pravo in optimum mutabit, cum in divina sit manu Regis Cor. (2.) Dignitas, utilitas, & pondus materiae postulant ab auctore, qui eam pertractat, diligentiam accuratissimam, & animum intentū: quod de me promitto, & profiteor. Postulant quoq; parem attentionem a lectore, ut de rebus quæ dicentur, iudicium firmum ferre possit: ita ut veram doctrinam comprobet, & optima monita, ut occasio feret, re ipsa exerceat.

PARS ALTERA.

*Nomen Rationis distato, Ratio status, æquivocum esse, hoc est, habere illud diversas significationes:*

*Expositio vocabuli Æquivoci.*

**P**RO hypothese habeo, verbū *Rationis distato*, *Ratio status*, æquivocū esse, i. e. plures habere significationes. Opus est, ut id ostendatur, ne videar iniquè reprehendisse scriptores antiquiores. Sed quoniam non omnes fortè, qui hunc librum in manus sument, logicæ operam dederunt, utile erit exponere, quid sibi velit, habere plures significationes, sive vocabulum esse æquivocum, propter eaq; non admittere unā communem definitionem. Aristoteles (3.) Æquivoca definit: *quæ nomen commune habent, at definitionem essentialē juxta nomen illud diversam.* Cujus definitionis sensum exponam hic expositione minus scholastica, in eorum gratiam, qui parum in scholis versati sunt. Nomen *status* significationes habet, quæ pluribus competunt; denotat enim Romanum, Neapolitanum, Venetum,

\* 2

(1.) Job. 35. (2.) Proverb. 21. (3.) Prædicam. in Princip.



## Præfatio

tum, Genuensem, & tandem omnes nationes, hominesque natos  
in Itala tellure, intra limites maris & Alpium, quos illi dat  
Poeta: *Ch' Appenin parte, e'l Mar circonda, e l' Alpe.*

*Quam Apenninus dividit, & mare circumdat, & Alpes.*  
At tamen licet tot homines, gentesque significet nomen hoc, unū  
habet commune genus, quod proximè omnes denotat, estque  
homo intra confinia Italiæ natus, sub quo comprehenduntur,  
tanquam partes, Romanus, Venetus, & sic Apulus, Romanensis,  
Thuscus, & similes.

Ex adverso nomen *Alexander* exprimit Magnum Ale-  
xandrum, Alexandrum Epirotam, Alexandrum Pheræum, &  
Alexandrum Magium, Antistitem olim scientiæ & eruditionis  
fidem excedentis, nec minús integritatis vitæ, plurimosque alios  
ejusdem nominis: at nullus Alexander communis eo nomine  
expressus est, per quem significantur singuli Alexandri. Est itaq;  
hoc discrimen inter bina illa nomina, *Italus*, & *Alexander*, quod  
prius quam plurimos significet homines, at sub una re commu-  
ni comprehensos, quæ primum *Itali* nomine expressa est, perq;  
eam denotati sunt Itali singuli: at nomen *Alexander* significat  
plurimos Alexandros, qui in nullo communi Alexandro con-  
veniunt, sed nomen solū commune habent. Jam quibus nomen  
solum commune est, nec eandem habent definitionem, æquivo-  
ca sunt: cum illis non sit definitū commune, propterea quod ni-  
hil commune una habeant, præter solum nomen, quod non re-  
cipit essentialē definitionem: cum essentialis definitio rerum  
sit, non nominum. Cetera quæ præter nomen ullam rem com-  
munem habent, univoca, non æquivoca dicta sunt. Secun-  
dum ea quæ dixi, erit nomen *Alexander* æquivocum, at *Italus*  
minimè. Sufficiat huc loci hæc expositio: quā cum applico meo  
proposito, assero, quod nomen *Ratio* status plurima significet,  
quæ in nulla re communi conveniunt, sed in nomine solum sive  
vocabulo



vocabulo significativo, & quod eam ob causam æquivocum sit. Idque demonstro, primum ratione habita binarum vocum, *Ratione, Rationis, & distato, status* separatim consideratarum, & deinde ut ambæ inter se conjunguntur.

Quod ad vocabulum *Ragione, Ratio*, quod sit æquivocum, ita manifestum fiet. Habet illud diversas significaciones: primò enim significat *facultatem ratiocinandi*, ut apud Petrarcham: *la voglia, & la ragione combattuto hanno: voluntas & ratio inter se pugnarūt.* Deinde significat *operationem* ejusdem facultatis, hoc est, *argumentationem, & syllogismum.* Boccacius: *prima con vere ragioni diffender la fama mia. Primò veris argumentis defendam existimationē meā.* Tertium significat *causam.* Idem Boccacius: *Mise mano al coltello, è disse, traditor tu se morto. Io nò mi posi à domàdar perche ragione, cioè, perche cagione. Cultrum manu prahendit, dixitque, preditor te tradam morti. Non vi quasi um quapropter, hoc est, ob quam causam.* Quartò significat *justum & rectum*, tandemque *jus* Latinis dictum. Hoc sensu dicimus, *il Judice farragione: judicem jus dicere.* Et in eod. Petrarcha: *Ragione è ben, ch' alcuna volta io canti: Equum est, ut nonnunquam cantem.* Quinta modo dictæ vicina est, & significat *actionem*, sensu juridico sumptā, secundum quam in libellis contractuum & ultimarum voluntatū dicitur, *tradere omnia bona & actiones; diceremus nostro sermone, dare tutti i beni, et tutte le ragioni.* Sextum significat *regulam*: eo sensu dicemus, *che per ragione di scherma non bisogna far moto in mensura: secundum regulam Athletica oportet servare mensuram: hoc est, secundum Athleticæ regulam, adversario multum vicino, non licet movere se sine manifesto periculo.* Et hæc significatio includit utile, & illud quod juvat operationem.

Septimum significat *pretium rei*, unde vulgari sermone



dicitur: *aragione di tanto il braccio, ulna a eo pretio*: & Boccacius, *Non ne vuol meno ch' à ragione di trenta il centinajo*. Non vilius vendet, quam centena pro pretio triginta &c. Octavum significat, *calculum*; ut cum dicimus, *saldarla ragione, rationes conficere*: sive absolvere computum. Nonum genus, vel speciem significat, ut apud Petrum Crescentium: *Il miglio è di due ragioni*, hoc est duorum generum, sive specierum est milium. Decimum significat *scientiam ipsam legum*, & ita dicimus, *Ragion civili & Canonica*: Jus Civile & Canonicum. Boccacius. *Un armario di ragion civile furputato: armarium juris civilis habitus est*. Subsisto in hisce decem significationibus, licet alia etiam inveniri possent. Hactenus clarum est, vocabulum *Ragione*, id est, *Ratio*, res exprimere diversas, & diversimode accipi: sed & æque clarum est, quod non est quædam communis Ratio, quæ recensitas omnes complectatur significationes, & per quod vox Ratio illas significet. Sed ex binis id probabo, quæ ad ea, quæ dicenda sunt, spectant: estque significatio *Justi*, & illa regulæ, quæ utile concernit. Jam utile & justum non habent commune genus: nam justum sub honesto est, quod genus est ab utili distinctum. Et si quispiam responderet, ambo contineri sub bono: respondeo, bonum etiam æquivovum esse, secundum doctrinam Aristotelis in *Ethicis* (1.) Sed ulterius tradit Aristoteles, (2.) illa quæ diversis subjiciuntur sensibus, & eadem fruuntur voce, æquivoca esse, ut perspicuitas vocis, & coloris; illa ad auditum, & hæc ad visum pertinet. Jam regula, & justum à diversis cognoscuntur potentiis: nam regula per se ipsa soli cognitioni subjecta est, hoc est intellectui practico, quatenus ab appetitu plane liber est. Etenim iudicium de regulis factis, & tandem de artibus, nihil rei cum appetitu habet. At justum simul appetitum requirit; nam res morales, ut iudicium fiat bonum rectumque, appetitum rectum exigunt, ut cum consilio desiderium boni honesti copulatum sit, (in bonis electionibus) quod continet rem electam: quale desiderium

exappe



exappetitur est, ut demonstravi in mea Ethica. Quoniam igitur intellectus, & appetitus facultates sunt diversæ, intellectus cum appetitu unitus criteriū efficiet, scilicet potentiam quandam judicariam, differentem ab intellectu ipse solum.

Vocabulum pariter *stato*, status, æqui vocum est, seorsim sumptum: etenim non solum dominatum significat, sed etiam conditionem personarum: ita Petrarch.

— — *Ch' il dolor distilla*  
*Per gli occhi miei del vostro stato rio,*  
*dolor destilla*

*Ex oculis meis ob vestrum statum infelicem.*

Ceterum quatenus quoque dominatum significat; variat significatio. Etenim aut pro subjectis terris accipitur, aut pro forma principatus, qui dominatur. Sumebatur pro locis subjectis à Guicciardino (1.) in oratione Pauli Antonii Soderini, cum amissis Seretiano, Seretianello, & Pisa Florentinis diceret, perdidisse ipsos sui status partem magnæ æstimationis; ubi status regionem, & subditos populos exprimebat. Significat formam principatus, sive regiminis apud Dantem, ubi de Cesena patria mea differens, inquit: *Tra signoria si vive, è stato franco*, inter dominatum vivitur, & statum liberum. Et ita Bernhardus Senius scriptor Florentinus, virque doctus utebatur voce status, pro republica, & forma imperii, ubiq; in versione sua Politic. librorum Aristotelis, dicens inter loca alia lib. 3. pol. cap. 4. *È padrone in ogni Città è il reggimento, o il modo del governo di quella: E tal governo si chiama Republica, o stato*: ubique summam potestatem habet in civitate regimen, sive modus regiminis. Et ejusmodi imperium resp. dicitur, sive status. Hæ significationes satis diversæ sunt. Nam uno modo Veneti nihil planè perdidierant de suo statu, amisso imperio in continenti, cum eandem imperij formam retinerent, imò propter eas calamitates magis uniti, magisque concordessent,

quam

(1.) lib. 2. hist. Ital.



quam unquam antehac : at secundum alteram significationem, insigne damnum & magnum fecerant, quod ex florenti & invidiosa ante prolapsi erant in conditionem miserandā, etiam ipsis ferè inimicis, sanè ipsis Italis, quos olim æmulos habuerant.

Quod etiam copulatis hisce binis vocibus nomen *Rationis* *di stato*, id est, *Ratio status*, æquivocum sit, duobus modis sciri potest. Alter est, quod vocabulum *Ratione*, i. e. *Ratio*, connectatur cum illo status in pluribus suis significationibus æquivocis : scilicet, quatenus significat justum, & rectum, & quatenus significat, vel includit utile : quatenus etiam significat causam, & quatenus significat speciem. Si quærat, qua justitia Ottomanii Imperatores interfici curent fratres suos, & nepotes, respondebitur jus esse status : idemque erit, ac si respondeatur, id ipsos facere per *Rationem* status. Unde colligitur, quod ratio status eo sensu nihil significat aliud, quam justitiam, & jus status. Et in eo *Juris Rectique* sensu, utebatur hoc vocabulo Joannes Casa, cum diceret : *In vanum itaque laborant illi, qui Jus duplex statuunt, alterum detortum & falsum, & dissolutum, dispositumque ad rapiendum, & male agendum: & huic dederunt nomen Rationis status, ipsique attribuunt administrationem regnorum, & imperiorum: alterum simplex rectumque, & constans, & illud à curia & regimine civitatis regnorumque, explodunt, & relegant ad litigia & contentiones contententium.* Sane ratio, quæ occupata est in litibus decidendis inter litigantes, jus est Latine dictum. Quando itaq; in principio ait *due rationi*, loquitur de duplici ratione, quæ Latinis *Juris* nomine veniunt : alterū rectum, alterū detortum. At si quærat, an bona Ratio fuerit status pro Romana plebe, (1.) transferre electionem Tribunorum plebis à Comitibus Curiatis ad Comitibus Tributa, is erit sensus, an fuerit bona regula in statu populari : & significatio spectat utilitatem, non justum. Porro si quærat, cui *Rationi* status competat Magistratus dare sorte, sensus est, cui generi

status,

1. Dionys. Halicarnass. lib. 9.



¶ *Introductio.*

Status, vel reip. accommo datum sit, & sic respondebimus, populari. Quod si dicamus, contentionem inter Romulum & Remum natam esse ex Ratione Status, intelligemus, propter Statum binos germanos inter se ferali odio diffedisse. Vocabulum itaq; Ratio, in pluribus suis significationibus æquivocis conjungitur cum vocabulo Status. Ita quoq; facile monstrabitur, quod vocabulum Status, illi Rationis, suis significationibus æquivocis pluribus jungatur. Sed satis sit in una id ostendisse. Quod porro ambobus junctis nomen Ratio Status æquivocum sit, sciri potest ex variis modis, quib; sumptum est a scriptoribus, qui de hac materia scripserunt. Alii enim sumunt pro cognitione mediorum aptorum ad instituendum, conservandum, & augendum imperium, quod utile respicit. Alii ponunt in legibus arcanis, & absconditis, ita ut sumant pro recto & justo, sive pro eo, quod *Jus* Latinis est. Jam quod res diversæ sint, utilitas status, & jus status, ita quidem, ut Ratio status, quatenus regulam significat, & utilitatem includit, & quatenus significat jus, diversas habeat significationes, præter probationes superius adductas, hanc addo, quod res aliqua utilis esse possit Statui & principi, quæ nullo modo justa sit: hoc est, quod respectus status non reddet justum impium facinus, quantumvis utile imperanti. Exempli gratia, Andronicus suscepta tutela Alexii legitimi Imperatoris, vitam spoliam & Imperio. (1.) Hoc parricidium, utile erat Andronico ad invadendum Imperium, at nullus credo opinabitur, hanc utilitatem status id præstare valuisse, ut res tam impia justa fieret. Et etiam si quispiam foret, qui illud crederet, (quoniã Thrasymachus apud Platonem definivit justitiã, quod esset *utilitas potentioris*) existimamus nihilominus, in hoc utile status, & justum status discrepare, quod alterum evidens sit, alterum ambiguum; qua ex re clarum fit, binas has significationes Rationis status inter se differre. Concludamus itaq; vo-

cabu-


(1.) Nicetas in Andron. lib. 6.



cabulum hōc Ratio status esse æquivocum, ut principio propo-  
sui, nec ideo communi definitione definiri posse; sed primum  
distinguendum, & post illa cuilibet significationi suam peculia-  
rem esse dandam definitionem.

## PARS TERTIA,

*Fit enumeratio significationum Rationis  
Status. Et principio disputatur, an solum rem pravam  
denotet, an vero æq; bonam & pravam.*

 Noniam itaq; Ratio Status plures habet significationes,  
opus est inquirere, quot illæ sint, quæ sunt considerandæ,  
& secundum quas Ratio Status definienda sit ab eo, qui  
hanc materiam pertractat. Dico itaq;, quod ex plurimis signi-  
ficationibus Rationis, nonnullæ ad Statum non applicantur:  
veluti quando significat calculū, pretiū, aut potentiā rationalē,  
aut vero actionē sensu juridico suaptā. Binæ illæ, quarum una si-  
gnificat justum & rectum, altera concernit utile jam expositum,  
verè ad statum applicantur; ceteræ quatuor, possunt quidem ad  
statum accommodari, & præsertim significatio causæ, & speciei,  
(ut in parte antecedenti) nihilominus si absolute proferatur,  
tanquam vocabulum incomplexum, Ratio Status, nullam di-  
starum significabit. Superfunt itaq; binæ tantum, cum jus, &  
utilitatem denotat, ad quas quomodo decima reducatur, pau-  
lo post audiemus. Sed advertendum est, cuilibet harum dua-  
rum etiam quandam inesse æquivocationem. Quæ ut rectius  
intelligentur, opus est primum determinare, an vocabulum Ra-  
tio Status solum rem pravam significet, an tantum bonam rem,  
an vero bonam & pravam exprimat.

In



In hac re ambigua, quælibet pars nacta est suos fautores. Est prima itaq; opinio, significare rem pravam & iniquam. Et in hac opinione est Joannes Casa, cujus verba parte secunda adduxi, quæ illud volunt, ut ipse interpretatus est his verbis: *non animadvertentes, quod illud utile, quod hodie Ratio Status dicitur, aliter suadeat.* (1.) Inter Scriptores propiores nostræ ætati est, (2.) qui cum agnoscat binas rationes status, alteram veram, alteram apparentem, ait tamen, quod apparens nostro ævo sibi vindicaverit nomen *Rationis Status*, ita quidem, ut secundum hanc sententiam, cum absolutè dicitur *Ratio Status*, de apparente intelligatur & prava, nequaquam de vera & bona.

Alia sententia huic planè adversa est, quod *Ratio Status* tantum vera sit, bonaq;, & illam tantum significet. Est opinio hisce verbis exposita: (3.) *Ulierius* (ait) *falsum est mea sententia, nostris temporibus per Rationem Status nihil aliud intelligi, quam apparentem. Imo, magnam præsentis ævo faciunt injuriam, ita sentiente s. Etenim, licet ex multis casibus potuerit nasci opinio probabilis, quod Princeps quispiam usus sit apparenti Ratione Status; certo tamen credere debemus, quod apud eosdem, & mundum universum, in genere differendo, per vocabulū Rationis Status, non nisi vera, & bona intelligatur, propterea quòd homo naturā inclinēt, & propensus sit ad bonum, natusq; ad prudentiā, & virtutem moralem, ut tradit Aristot. lib. 1. Politic. cap. 2. & nos libro quarto palam faciemus, ideoque ad sentiendum recte, & comprehendendum, & in usum ex natura deducendum, quod ab ipsa virtute, & prudentia illi demonstrabitur.* Ita exponitur tertia opinio.

Quarta opinio est, quod *Ratio Status* & bonam veramq; significet, & pravam atq; apparentem; ideoq; unius alteriusque definitionem tradunt. Hunc ego amplector opinionem, adducorque primum ad hoc iis, quæ ipsi illi dicunt, qui contrarium sentiunt; nam ambæ in medium prolatae sententiæ concedunt, dari bonam & pravam, sive apparentem *Rationem Status*

\*\* 2

TUS

(1.) In Orat. ad Carol. V. (2.) Fracchetta. (3.) Frid, Bonaventura lib. 1. c. 6, de Rat. Stat.



tus, ut ex paulo ante allatis elucescit. Igitur vocabulum illud Ratio status, & unam, & alteram significat: alias si pravam solum exprimere, non posset dici, aliam bonam esse, aliam pravam, sed omnes essent pravæ. Quemadmodum incontinentia, cum significet tantum habitum pravum, non dici potest, quod alia incontinentia bona sit, alia prava: & ex adverso, si bonam solum denotaret, non dici posset, quod alia esset prava. Sicuti de continentia, quæ solum significat habitum bonum, dici nequit, aliã bonam esse, aliam pravam, cum omnis bona sit. Adducor præterea argumento. Etenim vox status, ut vidimus, binas complectitur significationes, quarum una subditos exprimit, altera pertinet solum ad imperantes, & regentes: ita quoque duobus modis utile, & jus status accipitur, scilicet pro utili & justo totius corporis status, tam imperantis, quam parentis, & accipitur pro utili solo Rectoris, neglectis subditis. Utile hoc pravum est, ut postea audiemus, (1.) illud vero bonum. Et, quod hinc sequitur, Ratio status binas habet significationes, unã bonã, & unã pravã, aut dicamus potius, alterã rei bonã, alterã pravã. Hæc itaq; prima sit conclusio, quod per se Ratio status significet & bonam veramq; & pravam & apparentem. Adde porro, quemadmodũ virtus significabat Latinè Genus virtutum, specialia vero modo significabat fortitudinem, ut nos docet Cicero: (2.) ita quoque nomen hoc Ratio status, uti per se significat & bonam & pravam, ita speciatim denotat apud Statistas hodiernos pravam & apparentem; idque ideo, quoniam eorum opinio de vocabulo status magis utile est Principis, & Principatus, quam totius communitatis. Quemadmodum seculis magis luxuriæ deditis, verba ex se honesta, & olim pro honestis recepta, (3.) v. g. *patrare bellum, ducere Exercitus, tollere Pedes*, turpi sensu veniebant apud Romanos, (4.) ita jam a plurimis politicis, & statistis, Ratio status pro vocabulo pravo habetur. Quamobrem  
fortè

(1.) lib. 1. cap. 12. (2.) Tuscul. (3.) Quintil. lib. 8. cap. 3. (4.) lib. 2. ad Attic. ep. 1.



fortè rectius dicetur per Rationem Status factum, quādo Nero interfici curabat Corbulonē, qui potuisset, si animum induxisset, sua virtute & æstimatione imperium in periculum adducere, quam cum subsignaret sententias in reos latus, qui mortem promeruerant. Non tamen est, quod non pateat, quod vis vocabuli sese ipsa extendat etiam ad sensum bonum, & quod in una & altera significatione consideranda, & definienda sit Ratio Status: ut Latini, in definienda virtute non subsistebant in solâ fortitudine, sed in genere eam definiebant. Quod ad argumentum contrariū, inclusum verbis recensitis, facillime dissolvitur. Non recte inferitur, homo ad bonum propensus est, igitur Ratio status non significat rem malam. In vocabulis enim, & verbis rerum pravarum, velut tyrannidis, & intemperantiæ, clara est falsitas consequentiæ. Et in indifferentibus quoq; , ut fama, & similibus, eadem falsitas elucet. Significant enim & bonam rem, & malam: v. g. Fama rem bonam significat in his Virgilio:

*Sum pius Æneas fama super æthere nosus:*

Malam in istis ejusdem auctoris:

*Fama malum quo non aliud velocius ullum.*

Subjungunt iidem aliud argumentum, sed indirectum: estque, cum in dubium quoddam incidunt, quod communiter attribuantur Rationi status nonnullæ actiones pessimæ: cujus generis est, curare interfici homines magnæ virtutis, magnæque apud populum æstimationis, suæ securitatis gratia: sicut Tiberius fecit in Germanico tollendo. Et respondent, nasci hanc opinionem ex errore, ob imperitiam, & inertiam ejus, qui ita credidit: dum in malam partem sumperunt certas actiones apparenter pravas, at re ipsa optimas. Quod argumentum non solum dissolvitur, sed & retorquetur. Etenim cum fatetur, hanc opinionem, quam ego sustineo, & ille oppugnat, provenire ex fundamento pravo, concedit, quod existat opinio de ejusmodi

\*\* 3

signi-



significatione: at ejusmodi opinio nequit existere, ut non iidē aliiq; utantur ista significatione: igitur loco ejus quod significationē rejiciat, eam probat. Nec quidquam ad rem facit, quod ex malo principio nata sit opinio, & significatio: nam quæcunq; tandem ejus origo sit, usus satis est ad confirmandam significationem, quamvis ex pravo natam principio. Analogia vocabuli requireret sæpius, ut diversum esset ab eo, atque est: sed usus jubet ita efferre, ut consuetum fuit: quod monuit, & falsus est Cicero. (1.)

## PARS QUARTA.

### *Enumeratio significationum ab- soluitur.*

**R**Evētamur modo ad significationes vocabuli *Rationis* status, ut in unū omnes colligamus. Quoniam principio vidimus, significare illam & justum, & utile, & modo intelleximus, significare verum & apprensibile, verum & apprensibile utile: colliguntur quatuor ejus significationes, binæ justæ, unum verum, & unum apprensibile, & binæ utilis, unum verum, & alterum apprensibile. Sed monendum porro est, quod justo vero ab una parte, & utili vero ab altera, alia quædam se admisceat divisio, estque, quod justum aliud tale est communiter, aliud extra ordinem tale est: idemque de utili putandum. Voco justum communiter illud, quod secundum vulgarem cursum legum, vel naturalium, vel positivarum justum est. Voco extra ordinem justum illud, quod cum non sit secundum vulgarem cursum tale, sit alicujus rei, casus, & causa gratia justum. Quæ res & causa, si propter statum, ejusq; gratia est, dicitur in specie justum status. Exemplo sit hoc. Morte mulctare furtū unius pomi,

(1.) de claris Oratorib.



mi, legitimo modo foret injustitia; at milites ita punire, apud quos, propter salutem status, opus est severa militari disciplina, evadet justum, publici gratia. Justum hoc extraordinarium ita dictum est: quoniam contra, vel supra justum legitimum est. Eadem quoque distinctio utili accidit. Nam gratia exempli, possidere quandam civitatem latos fines, & omni re affluentes, de legitima, & communi sententia utile est amplitudini civitatis, & ut civibus bene sit. Nihilominus Venetorum angusti fines, Genuensium & Florentinorum regio sterilis, & minus sufficiens, profuit illis civitatibus, ob industriam, ad quam ob necessitatem adacti sunt: & cujus adminiculo binæ priores per navigationes obtinuerunt amplum imperium, etiamsi non ab utraque parte æque fuerit conservatum. Et Florentia, copia opificum & negotiatorum opulenta reddita, valuit, etiam accedente numero & ferocia populi, imperium extendere ulterius in Hetruria, seque etiam tueri adversus vim magnam externam. Jam, ad hujusmodi tam justum, quam utile extraordinarium, nonnulli scriptores restrinxerunt Rationem status. Ad justum extraordinarium reducerunt, qui definiverunt contraventionem Juris ordinarii: (1.) tum quoque, qui eam collocarunt in certis intimis, & absconditis legibus, & privilegiis. Et illi, (2.) qui pro fundamento posuerunt, quod ars abscondita sit, non legitima gubernandi, ad utile extraordinarium respexerunt: fortassis quoque ad justum extraordinarium. Idem dixerunt, illam non incedere via legitima, et quod per illam Princeps possit operari res quamplurimas, ultra communem usum.

Quoniam itaque tot sunt significationes vocabuli Rationis status, minimum secundum varias opiniones, quæ de illa sunt, ut natura illius cognoscatur in suis significationibus, apparet, sex ante res sedulo perpendendas esse. Primum, quodnam sit justum verum legitimum status, & regiminis publici, Secundum

quod.

(1.) Scip. Ammiratus. (2.) Bodavencia.



quodnam sit justum extraordinarium verum. Tertium, quodnam sit justum apparens. Quartum, quodnam sit utile verum ordinarium status. Quintum, quodnam sit utile verum extraordinarium. Sextum quodnam sit utile apparens. Quibus prioribus duobus libris expositis, tertio factu erit facile, veras eruere definitiones Rationis status, & judicare de datis in hunc diem ab aliis. Hæc erit itaque distributio operis in libros tres.

*Primus liber erit de justo status, divisus in partes tres, quæ erunt,*

*Prima, de justo legitimo vero status:*

*Secunda, de justo extraordinario vero:*

*Tertia, de justo apparente.*

*Secundus liber erit de utili status, divisus in partes tres.*

*Prima pars aget de utili legitimo vero:*

*Secunda, de utili extraordinario vero:*

*Tertia, de utili apparente.*

*Tertius liber aget de aliorum definitionibus, nostrisque Rationis status.*

*Definitiones aliorum hæc sunt:*

*Boteri, relata cap. 1. defensa adversus Bonaventuram cap. 2. explosa ab Auctore cap. 3.*

*Fracchettæ, collocata Cap. 5. rejecta cap. 8.*

*Ammirati, enarrata Cap. 9. reprehensa cap. 12.*

*Bonaventuræ, relata Cap. 13. confutata Cap. 18.*

*Ex iis, quæ de justo differunt, & utili vero, legitimo, & extraordinario, apparebit Politica vera & bona.*

*Ex iis, quæ dicuntur de justo, & utili apparente, detegetur Politica personata.*

*Moni.*



## MONITUM.

**E**d ut finiam de varietate significationum R. S. observo, quod propter istam copiam contingat, ratione antecedentium, & nonnunquam subsequantium verborum, illam ad hanc, vel illam significationem restringi. Do exemplum hoc. Si jus dicit *Ictus secundum leges civiles*, non dicitur *judicare ex Ratione status*: nam si sic loqueremur, indicarem, sententiam haud ferre secundum leges communes, vocantes novo nomine, & insolito, *judicium ab ipso latum*, & quod sic non *judicaret secundum communem legum viam*, quibus tenetur. Et propter hoc velamen, restringitur tum significatio ad *judicium è re, & utili, non ex justo latum*. Ex adverso si quis dicat, *bonam esse Rationem status*, curare, ut *judices sententiam ferant secundum leges constitutas, & secundum earum æquitatem*, non credo repertum iri ullum sanæ mentis, qui id negaverit.

## PARS QUINTA.

*Afferuntur, & dissolvuntur nonnulla dubia adversum ea, quæ dicta sunt.*

**P**ro Epilogo hujus introductionis, proderit dubium quoddam afferre magis urgens, adversum ea, quæ dicta sunt, idque remove: nam plurima alia per se evanescent, ex declaratione rerum dicendarum, prout de iis proposuimus. Dubium itaque est de significatione, attributa à me *Rationi status*, quod *Jus latinè significet*. Reprehendunt nonnulli (1.) hanc opinionem

\*\*\*

(1.) *Frid. Bonavent. lib. 1. c. 6.*



nem, quando dicunt, è contrario significare latinum vocabulum, Ratio. Verba ita sonant: *sed cum dicimus Ratio status, non intelligimus, quod verbum hoc Ratio respondeat illi alteri Juris: sed secundum sensum vulgarem, ut hodie loquimur, verbo Rationis, quod desumptum est ex Græco λόγος.* Quibus verbis, ut & eodem loco, nullam addunt dictorum rationem: sed alibi videntur probare, quæ dixerunt, cum considerant, quod legum peritus, qui regi secundum leges, non dicitur unquam ab ullo sanæ mentis, quod gubernet secundum Rationem status, quando in usum transfert, id quod ipsæ leges constituerunt. Sed huic argumento paulo ante, sub finem præcedentis partis, responsum est.

Altera ratio deinde ex eorum dictis eruitur, estque hæc: si fuisset per vocabulum Ratio status significatum Jus, cum Jus se extendat etiam ad leges, etiam lex posset à Ratione status significari, id vero fieri haud posse, simpliciter pronunciant. Idemque probant: nam lex materiam habet, & objectum determinatum: Ratio status nec materiam, nec regulam habet determinatam. Estque hujus rei fundamentum hoc, quod illa adeo mutabilis est, ut quod hodiè probet, oporteat sæpius, mutata rerum conditione, cras improbare.

Ad id responderetur; si illis animus est demonstrare, Rationem status non se extendere ad leges, in eodem isto sensu, quod non omnis Ratio status lex esse possit, & nulla lex Ratio status, decipiuntur, & falsa dicunt, & argumentum allatum vim nullam habet illud probandi. Falsum est: nam quæram ex illis, an leges prætextuū, quas recenset Aristoteles, (1.) sint Rationes status an non: scilicet, in Oligarchia, ut non teneantur pauperes arma tractare, & iis se assuefacere, at omnino divites: & in Democratia ex aduerso, ut pauperibus, cum ad comitia veniunt, & causas judicandas, merces persolvatur, divites minime cogantur illis interesse. Si fatentur esse Rationem status, & alteram quidem paucorum, alteram regiminis popularis, jam fatebuntur, quod cupio. Si ne-

(1.) Polit. lib. 4 c. 13.



gant, adversum ibunt sensui vulgari, illique Aristotelis, qui cum appellat has, & similes leges, simulationes, & prætextus fraudulentos, non aliud quid intelliget, quam quod significabitur à Ratione status. Ita lex sancita à Tullo Hostilio, qua à Comitiiis Curiatis ad Centuriata transferebat electionem Magistratum, deliberationem de bello & pace, de approbatione & abrogatione legum, Ratio status erat nobilium, & divitum, ad infringendam multitudinis auctoritatem: quæ fraus in multitudinem efficta, (sed quæ fortè tum imperio fuit salutaris) notata est à Dionysio Halicarnassico: *Hoc institutum (inquit,) tanto potiores divitum partes efficiens, sefellit plebem, ut diximus, deceptamq; amovit à tractatione Republicæ. Omnes enim putabant se æquari, dum virum suffragia ferunt in sua quisque centuria, sed in hoc decipiebantur, quod non animadvertabant &c.* Sed ex adverso, quod electio Tribunorum plebis ex Comitiiis Curiatis transferretur ad Tributa, Ratio status fuit in commodum plebis, satis cognita, perspectaque à Volerone, qui eam ferebat, & Lætorio; qui obtinuit, ut perferretur: (1.) nec minus à Senatu, qui pro virili contra nitcbatur. Ita quidem, ut cum illi dicunt, nullum sanæ mentis affirmaturum, legem esse Rationem status; ego è contrario dico, non facile reperituri prudentem, qui non fateatur, quandam legem esse Rationem status. Ad probationem porro, quod lex habeat materiam, & regulam determinatam, non autem Ratio status, quodque sit ad eò mutabilis, ut quod hodiè jubeat, cras mutata rerum sorte, rejiciat: nego rationem Status non habere materiam, & regulam determinatam, quod videbimus postea, quod illi sit in qualibet significatione: & quod illa, mutatis rebus, se immutet. Idem etiam lex facit, minimum quantum ad mentem Legislatoris: cum mutatis rebus etiam pereat vis ejus, ideoq; in usum non deducenda sit. V. G. qui scutum abjiceret, morietur. Hæc lex in illo, qui scutum abjiceret, destitutus armis aliis, ad agendum præcipientem inimicum de muro urbis, quæ possit alias capi, non inveni-

10-

(1.) Tit. Liv. lib. 2. c. 56.



locum. Ideoq; leges plurimas patiuntur exceptiones, quæ ex æquitate sec. Aristotelem (2.) æstimandæ, & in usum traducendæ sunt. Ideoq; regulam habere, & pati exceptiones, commune est Rationi status cum legib<sup>9</sup>: at inter illa hoc intercedit discrimen, ut cum legum exceptio non dicatur lex, sed æquitas: ita ex adverso Rationis Status regulæ & exceptiones, Rationes status sunt, & ita vocantur. Itaq; argumentum non infert, quod Ratio status non possit esse lex, sed quod non semper sit lex, nam est etiam exceptio a legibus. Ne dicam, quod non omnis regula Rationis Status expressis verbis erit a lege imperata. Quod sufficiat dixisse ad dissolvendum argumentum: nam libro tertio porro audiamus, quomodo Ratio Status lex sit, & quomodo non sit, & quando, & quousq;. Jam cum differuerim de significationibus vocabuli Ratio Status, cumq; ostenderim primum, æquivocum esse, ulteriusq; posuerim divisionem operis in partes suas, quam subjungam quoq; minutius divisam, superest rem ordiri.

(2.) 5. Ethic. cap. 10.







# LIBER PRIMUS DE JUSTO STATUS.

*Præmittitur expositio vocum civitatis,  
Reipublicæ, sive status.*

## CAPUT I.



Quandoquidem de Justo Status differen-  
dum nobis est, opus est principio videre, qua  
in re consistat, & ex quibus partibus constet, ac  
postea agere de qualibet ipsius parte. Quod  
ut fiat, sumamus à Politicis, quid sit status, regi-  
men, vel Respublica, quæ eandem rem signifi-  
cant, & primum quid civitas sit, cujus forma  
respublica est. (*Præf. p. 2.*) Civitas igitur  
ab Aristotele est definita, (*lib. 3. pol. cap. 6.*)  
quod sit *plurium familiarum & domuum com-  
munio, causa vitæ perfectæ, & se ipsa contenta.* Ita illam definit. Et quia  
ejusmodi multitudo haud una durare posset, neq; finem suæ securitatis, &  
satiæ conlequi, nisi publica quædam esset potestas, quæ faceret, ut ho-  
mines uniti non solum se invicem non læderent, sed mutuis officiis juva-  
rent, & similia alia curaret: eapropter necessum est, ut firmata, & institu-  
ta sit publica potentia, & jurisdictione: in qua consistit respublica, sive  
status, & regimen, quicquid ex his dicere libuerit. Ita, ut respubl. veluti  
forma sit, & civitas materia cujusdam compositi. Et licet, ob viciniam rerû,  
sæpius totum per voces partium significetur, (nam cum dicimus rempubl.  
intelligimus etiam sæpius civitatem una, & cum civitatem nominamus, inclu-

A

clu-



cludimus formam regiminis) attamen accuratè loquendo, altera significat partem materiale, altera formalem totius, uti diximus. Et in stricta illa significatione respubl. definita est ab Aristotele, quod sit *ordo civitatis, cum aliorum Magistratum, tùm maximè ejus, qui summam potestatem habet.* Et brevius, prout nunc quidam loquuntur, dicemus, quod Respubl. sive status, sit ordo civitatis circa Magistratus, & maximè circa absolutam potestatem: cum illi per absolutam potestatem intelligant summam potestatem, in cujus arbitrio sita est tota respubl. scilicet sancire, & abrogare Leges: & hinc corrigere, & immutare rempubl. & similia, quæ vox à Gallis ad nos venit. Hæc principia politica fundamenti loco ponenda sunt, & non demonstranda: solummodo explicari debent, quod paucis faciam. De cætero omnes moralium scriptores graves illam sine controversia admiserunt, præter Bodinum: is, quam se præbuit audentem in oppugnanda de industria doctrina adeo prudentis scriptoris, ut est Aristoteles, tam se prodidit fœcundem lectorem rerum, ab isto Philosopho scriptarum, & devium a genuino ejus, quem reprehendit, sensu. Sed relinquamus illum, quoniam cum primis Fabius Albergatus, (*in Dissert. polit. adv. Bod.*) nobilis & eruditus scriptor, solide ipsum refutavit. Jam quod spectat ad sensum definitionis civitatis, ita explicatur. (*Arist. l. 3. polit. cap. 6.*) Dantur variæ societates ob privata commoda: v. g. quod certa pecuniæ summa augeatur, qualis est mercatorum: vel ut se mutuo defendant, ut populorum fœdere junctorum: vel ob commercium inter illos rerum, quæ vel his abundant, vel illis defunt: veluti olim Carthaginensium & Tyrrenorum, aliorumque similia. Ejusmodi societates non sufficiunt ad constituendam civitatem, sed opus est, ut in ea cura habeatur providentiæ omnium bonorum, quæ sufficiunt, & securitatis, tam internæ, quam externæ, neque minus morum habeatur ratio, prohibendo vitia, ac virtutes nutriendo. Et hæc est societas perfecta, & se ipsa contenta, ut in definitione dicitur. Unde posset colligi corollarium observatu dignum: scilicet, si civitas ad eam tenderet corruptionem, ut porro curam nullam gereret, vitia & peccata civium puniendi, desineret esse civitas, vel minimum esset civitatis quasi umbra, & æquivocè talis. Ab ejusmodi corruptione non longè aberant Athenæ tempore Platonis, ut idem lib. de LL. scribit: (*lib. 3. sub finem*) Porro, quod definitionem reipubl. attinet, quod sit ordo civitatis circa Magistratus, id significat, quod Resp. consistat in



ordinanda Jurisdictione, & publ. potestate, uti ab initio dixi: attamen quod precipue posita sit in summa potestate, sive supremo & summo Magistratu, sive collegio, aut quodcumq; tandem illud sit, cui resp. in manu est. Significat pariter, quod minores Magistratus in diversis Rebus publ. possint esse iidem homines: at vero illud, quod discrimen essentiale inter eas facit, & quod specie differant, summa est potestas. Nam si illa sola apud populi totius concilium est, ut olim Romæ, ubi potentia condendi LL. & capitis condemnandi cives Romanos, penes totius populi comitia erat, genus erit reipubl. popularis. Si eadem summa potestas penes Nobiles solos residet: ut hodiè Venetiis apud Concilium magnum, quod ex nobilibus tantum constat: erit species reip. optimatum: & si in unius erit manu, Monarchia dicetur, ut infra repetemus; ita ut summa potestas reipubl. essentiam constituat, quoniam ratione istius discriminis, resp. in diversas dividitur species. Unde novum emergit Corollarium scitu dignum. Quod, scilicet, societates civiles Principibus subjectæ, qui sibi ipsis servant, aut suis ministris committunt exercitium summæ potestatis, non mereantur nomen reipubl. secundum hanc definitionem: quoniam ejusmodi societatibus civicis deest essentia reipubl. quæ summa est potestas. Et ea propter regiones, urbesq; Romanis subjectæ, quæ in provincias redactæ erant, scilicet quorsum Romani Magistratus ibant ad dicendum jus, appellabantur servitutæ affectæ. Quæ vero suis regebantur Magistratibus, etiam si tributum penderent, militemq; ex pacto cum opus esset, mitterent, vocabantur libera: Sigonius inter alios in lib. de jure provinc. (*lib. 1. cap. 1.*) Feuda quæ habent regalia, ut loquuntur Jcti, sunt hujus conditionis: sicut Regnum Neapolitanum, quod est feudum Pontificis, & Ducatus hodiè Urbini, Parmæ, & olim Ferrariæ. Sed revertamur ad præcipuum negotium, unde digressi sumus. Est itaq; reipubl. universè dicta talis, qualem definivimus, nimirum tam generatim, ut comprehendat non solum imperium, cujus plures participes sunt, quod communiter solum per reipubl. nomen intelligitur, verum etiam ubi unus dominatur, quemadmodum in Regno usu venit.

A 2

Ex



*Ex qualibus, & quot rebus respubl. quaedam  
formetur, siue status bonus: vel ius verum, & commune status,  
qua in re consistat, & ex qualibus partibus  
proveniat.*

## C A P. II.

**S**equitur nunc, ut de eo agamus, quod nobis proposuimus, qua in re consistat jus regiminis, & ex qualibus, quotq; partibus proveniat. Idem Plato quaesivit lib. 4. de iusto, cum proponeret, qua esset, & in quo consisteret iustitia civitatis. Postquam enim quaesivisset, invenissetq; qua in re consisteret prudentia, Temperantia, & robur visq; publica, postea aeq; iustitiam publicam inquisivit. Fuit vero decisio quaestionis propositae a gravissimo Philosopho haec. Dividit ille civitatem in duo hominum genera, in quaestuosum, quod artifices, opifices, & tandem lucro deditos complectitur: in militare genus, quod arma tractat, & id, quod consultat, cui in manu est regimen civitatis. Quibus ita factis, concludit, quod si quilibet ordinum dictorum sui se contineat & officii, & muneris limitibus, neq; alieno se immisceat muneri, quod tum civitas iusta sit, & quod in eo iustitia civitatis consistat. Quae doctrina non utcumq; solum intelligenda est: quemadmodum plerumq; non debent divisa hominum excellentium ita intelligi. Enimvero, etiamsi pro se quisq; rerum suarum satageret, neq; milites rebus opificum se immiscerent, neq; etiam rebus iudicandis, Consultatores soli imperio vacarent: at hi inique jus dicerent, neq; dignitates conferrent dignioribus, milites insolenter sefferent, artifices fraudes admitterent in artibus, non esset civitas iusta, nisi eatenus quod deessent seditiones, & tumultus civiles, dum altera parte quiete obediret, altera tranquille imperaret. Et fortassis ita coarctavit ille iustitiam, aut reconditus magis est sensus huius celeberrimi scriptoris, quod instituti mei nunc non est inquirere. Itaq; ego hic disseram accommodate magis ad usum communem, & ad meum institutum. Et ob ejusmodi discrimen, potero, imo ego debeo, contra quam Plato facit, instituta viri boni contemplatione, exinde invenire civitatem, & Rempubl. bonam.



bonam. Vir bonus igitur ex habitu iustitiæ constituitur. Verum quidem est, quod si quispiam fingatur, in perpetuo exercitio iustitiæ administrandi constitutus, is si ab eo cessaret, etiamsi habitum retineret, careret iustitia: nam omisso ipsa iniusta esset. Quare in tali casu, & habitus, & actio exigeretur. Dicta explico: Prudens Crus tenax est in expetenda non nisi iustitia, cui etiamsi officium nullum iudicis esset commissum, foret tamen is, licet in otio viveret, ob habitum virtutis iustus. Sed ponamus esse iudicem constitutum, sane habitus solus non faciet ipsum perpetuum esse æquum: enimvero si fieri non posset, ut quotidie in tribunali sederet, sicq; res, ut occasio forte exigeret, non dijudicaret, deesset iustitiæ. Quoniam itaq; civitas est societas vivendi, & bene vivendi gratia instituta, vivere vero operari est, ut ex illo, quod docet libr. 2. de anima Aristoteles, colligitur: itaq; ut republ. vel civitas bona sit, habitum simul cum exercitio iustitiæ exigit. Sed qualis est habitus iustitiæ in republ.? Id ita apparebit. Republ. consistit in ordine publicæ jurisdictionis, & potestatis, ut dictum est. Si igitur publica potestas rectè erit distributa, id est commissa illis, qui merentur, & qui ejus capaces sunt, tum etiam habita ratione meritorum, magis minusve talium, erit distributio iusta, & constitutio iusta, & proinde republ. iusta. Erit pariter quoq; civitas iusta, ob iustitiam formæ ipsius. Iustitia itaq; habitualis civitatis in forma, & constitutione recta in republ. consistit. Audiemus postea, quæ formæ bonæ sint, & quæ prævæ. Jam satis est scire, quæ sit iustitia habitualis civitatis, & reip. Dehinc quod ad operationem spectat, non sufficit ad rectè operandum, si res quæ fit, ex se ipsa iusta sit: sed hic opus est, ut etiam finis propter quem bonus sit. Æs alienum reddere, res æqua, ac iusta est: at eo fine reddere, ut creditorem gravius decipiamus, actionem iniquam reddit: veluti Dionysius se gessit cum Syracusanis, quibus mutuum minoris pretii restituit, ut majus petere posset, quod reddere volebat. Finis itaq; iustus ad iustitiam, quæ in civitate est, exigitur, & id ante alia omnia: in moralibus enim finis determinat actionem, ac bonitas actionis dependet principio a bonitate finis. Quod ad cætera postea, ad operationem pertinentia, id in illis rebus considerabimus, circa quæ respublica est occupata. Quod ita intelligemus. Primo in republ. & civitate volumus leges, per quas illa ad virtutem tendit, prohibendo vitia, & præcipiendo actiones virtuosas: tum per quas curat, ut rebus necessariis civitas instructa sit, & utilibus, ad bene & commode vivendum: tum



illas quoq; leges, quæ ad formam cujusvis pertinent regiminis, & status, sit ille vel Regius, vel optimatum, vel popularis. Et hoc genus legum a JCtis jus publicum appellatum est, quod consistit in stabiliendis, & ordinandis collegiis, & Magistratibus, in quorum manu debet esse publica potestas. Leges deinde sequitur executio. V. G. Venetiis lex est, ut soli Nobiles admittantur ad consilium magnum. Ibi Magistratu opus est, qui efficiet, ut hoc observetur, curamq; gerat, ne quis in numero illo reperiatur, qui talis non sit. Pariter lex fert, ut Senatores eligantur, aut Rogati, ex Nobilibus virtute præstantioribus: sed opus est, ut ita observetur, alias enim vana foret lex. Jam hæc & omnia illa, quæ pertinent ad electionem Magistratum, ad justitiam attinent, quæ distributiva dicitur, quæ occupata est, in distribuendis officiis, & honoribus publicis. Porro generatim legum executio & earundem observantia procuranda est: quod fit per præmia & pœnas: ita ut his puniamus inobedientes, illis obedientes, & bene meritos cives afficiamus. (*Arist. 5. Eth. c. 3.*) Et hoc omne æque pertinet ad justitiam distributivam, ut ita actionum publicarum major pars justitiæ distributiæ sit subjecta. Altera pars in eo consistit, ut negotiationes, & commercia, quæ inter privatos sunt, ex æquo fiant: quæ cum quotidie obveniant, & circa mutuum, & res venditas, & similia, ubi iniqui dant operã, si possint, in aliorum bona involare: quare opus est iudice, ut iniqui ad æquitatem redigantur. Et omne hoc ad aliam quandam speciem justitiæ pertinet, quæ correctiva, sive commutativa ab Aristotele dicta fuit, ab insequentibus quoq; Philosophis, & Theologis (*D. Thom. 22. q. 61. art. 1. & 2.*) Quoniam etiam apparet, quod contractus omnes ad hanc justitiam commutativam pertineant, ideo pacta, ob pacem, & fœdera, & talia, inita cum aliis rebus publ., ad eandem referuntur. Actiones itaq; reipubl. & Magistratum, quæ propter executionem fiunt, & procuratæ sunt a legibus, reducuntur ad justitiam distributivam, & commutativam. Et ita habebimus inventum, quatuor res requiri, ad reddendam civitatem, & remp. justam; tandemq; ad jus verum & ordinarium status. Scilicet, finis justus reipubl. forma, & constitutio ejusdem justa: exercitium justitiæ distributiæ idemq; justitiæ commutativæ. Initium facimus à primo, quod scimus idem esse, quod finem legis querere. Nam reipubl. constituitur per legem, ut dictum est: intra verò finem, & Imperium, & terminos ejus, debent coerceri executiones, & operationes Magistratum. Aristoteles quoq;



quoq; ita instituit dissertationem, & disquisitionem præsentem, qualis sit finis legis. Et in cap. 14. lib. 7. Pol. satis apparet, quod finem reipubl. cum fine legum, & legislatoris confundat. Idem ego quoq; faciam, postquam hujus rei observationem præmisero.

*De fine legis & Imperii quatuor sentiendi  
modos exstare, sive quatuor opinio-  
nes.*

CAP. III.

**U**T igitur præfixum nobis consequamur finem, præstat principio in medium adducere varias gravissimorum auctorum de eo opiniones, variosq; illos sentiendi modos, qui videntur ad quatuor reducendi. Prima sententia Aristotelis est, quod finis verus, & iustus, sit communis utilitas civitatis. Idemq; scribit Plato. Verba Aristotelis (*lib. 3. pol. c. 5.*) hæc sunt: *Querunt enim nonnulli, ad quid respicere legis conditor debeat, in legibus rectissime constituendis. Utrum ad meliorum utilitatem, an ad plurimum, quando contingat, quod modo diximus. Rectum quidem accipiendum est, quod æque, æque vero ad totius civitatis utilitatem, & ad communem civium.* Quod idem Plato (*l. de legib.*) docet, cum dicit: *Neg; censemus rectas eas esse leges, quæ totius civitatis gratia communiter posita non sunt.* Progreditur Aristoteles ulterius, & exponit, quod hæc communis utilitas, sit felicitas civiū, cum scribit 7. Polit. c. 14. *Cum vero civis & presidentis eandem virtutem esse dixerimus, quæ optimi viri, & eundem prius parere debere, & postea imperare: hoc itaq; erit legum positore intuendum, & laborandum, ut boni viri efficiantur, & per quæ exercitia, & quis finis optimæ vitæ.* Et prius dixerat in principio Ethicorum, (*l. 1. cap. 2.*) quod finis civilis societatis sit summum bonum humanum, non unius, sed omnium civium. Hæc prima sententia est, quod finis verus, & rectus legis, & Reipublicæ, sit bonum commune, & felicitas civium. Altera sententia illa est, quæ colligitur ex dictis Thomæ in locis diversis Summæ: (*l. 2. q. 90. art. 2. 22. q. 77. art. 1. ad. 1.*) estq; hæc: quod finis sit communis

pax



pax & concordia civium: ut ita lex solummodo illa prohibeat peccata, prava-  
 vasq; actiones, quæ ejusmodi quietem disturbare valent, jubeatq; illas vir-  
 tuosas actiones, quæ ad eandem quietem requiruntur. Bartholomæus  
 Medina comment. in Thom. 1. 2. q. 99. in introductione, sententiam hanc  
 profert; cum scribit: *Nam juris prudentes de legibus considerant, quatenus  
 ordinant nos in communem pacem Reipublicæ.* Et paulo post artic. 2.  
 quæ dixit, Platonis opinionem confirmat, cum inquit: *Plato enim dicit, le-  
 gislatores communis pacis gratia leges condere debere.* Sed an ita sentiat  
 Plato, postea intelligemus. Interea satis nobis est alteram exposuisse o-  
 pinionem. Tertia ea est, quam Clinia Cretensis, & Megillus Spartanus a-  
 pud Platonem (*1. de legib. in princ.*) afferunt, cuiq; favent, estq; hæc: quod  
 finis legum & Reipublicæ sit, cives bellicosos reddere, & sic aptos ad sub-  
 jiciendum sibi alias civitates. Verba loco citato hæc sunt: Athen. *Pro be,  
 o hospes, ad exponendas leges Cretensium, exercitatus mihi videris. Sed id pla-  
 nius dicas. Nam ita demum recte dispositam civitatem visus es dicere, si sic  
 instituta sit, ut ceteras bello vincere possit. Itane?* Clin. *Ita prorsus: hunc  
 etiam arbitror consensurum.* Megill: *Haud aliter Lacedæmoniorum quis-  
 piam, o divine vir, responderet.* Hæc opinio secundæ addit curam indu-  
 cendi civibus fortitudinem, & perfectam virtutem militarem. Hoc est, cu-  
 ræ introducendi in societatem civilem virtutes cæteras, usq; eò, ut efficere  
 valeant cives mutuo quiete vivere, jungit hanc, ut fiant bellicosissimi, sicq;  
 apti ad augendum imperium propriæ civitatis. Erit ideo hic finis priori  
 præstantior. Et ob perfectionis gradum hæc sententia erit secundo loco,  
 & illa altera tertio collocanda. Quarta sententia est, quod finis legis,  
 & Reipublicæ, sit securitas, & utilitas ejus, qui imperat: hoc est principis  
 in Monarchia, sive in imperio unius, aut divitum in statu paucorum, aut  
 plebis in statu populari. Hic finis, tanquam illi proprius qui imperat, ex-  
 primitur a Platone hisce verbis: (*lib. 4 de legibus.*) *Sic accipe. Leges, ut a-  
 junt, semper in civitate ponit, quod dominatur. Nonne?* Clin. *Ultiq;.*  
 Ath. *Numquid existimas, inquit, vel populum superantem, vel aliam  
 quampiam Reipublicam, vel Tyrannum, ad aliud sponte leges latu-  
 rum, quam ad utilitatem suam, hoc est, sui principatus stabilitatem?*  
 Clin: *Non ad aliud.* Athen. *Si quis autem hujusmodi leges transgredia-  
 tur jam positas, ut iniquus punietur ab eo, qui has institutiones induxit, ju-  
 stusq; appellat.* Clin. *Sic apparet.* Discrimen est inter primam & ultimam  
 opi-



Opinionem: etenim in prima, per utilitatem communem subditorum intelligitur, minimum præcipue sub ea comprehenditur. In quarta utilitas illius qui imperat, & dominatur, ad quam, qui præest, omnes subditorum facultates, & vitam dirigit, & constituit. Jam perpendamus, quis horum iustus sit, & si plures ex ipsis sint iusti, quis optimus ac iustissimus.

*Exponitur, quis verus & optimus finis sit  
ex quatuor recensitis.*

## C A P. IV.

**S**itaque sententias præcipuorum politicorum perpendimus, clarum est, quis finis optimus sit & rectus civitatis. Etenim Plato & Aristoteles, cæterique scriptores graves, consentiunt, quod sit utilitas communis, & felicitas civium. De sententia horum duorum præcipuorum Philosophorum jam satis cognovimus, per loca ex ipsorum scriptis capite præcedenti adducta, ubi aperte ita loquuntur: quibus impræsentiarum nonnulla alia adjungemus, ut eo clarior fiat hæc de fine disputatio: quod fundamentum præcipuum est totius Politices. Idcirco etiam rationibus confirmabitur. Et quoniam nonnulli, qui de rebus status populariter scripserunt, videntur non multum fidei tribuere Aristoteli, ac Politicis similibus, velut longe aberrantibus ab opinione Principum, horumque ministrorum: addam ego testimonia ipsorum Principum, eorumque qui regimini statuum præfuerunt, ut ita deprehendant, idem cum Politicis scientia instructis sentire illos quoque, qui experientia & usu tales evaserunt. Jam quod ad loca Platonis, & Aristotelis, quæ prioribus addenda, Plato r. delegib: docens, quæ leges bonæ esse debeant, inquit: *Recte enim positæ sunt, cum utentes eis beatos efficiant.* Aristot. 7. Polit: pluribus locis idem confirmat. Et primo inquit: *studiosi autem legum positoris est, considerare urbem, ac naturam hominum, & omnem aliam communionem vitæ laudabilis, quo participant, quantum fieri potest, felicitatis.* Postea prolixè docet, quibus modis præceptisque legislator cives ad felicitatem instituere possit, concludens: *hoc utique erit legislatori intuendum, laborandumque, ut boni viri efficiantur, & per quæ exercitia, & quis finis optime vitæ.* Et alibi eodem libro & loco: *Cum autem propositum nostrum sit, optimam rem publi-*



eam videre, ea vero est per quam Civitas optime gubernetur: optime autem gubernatur, si felicitatem maxime recipiat. D. Thomas quoque sine in Regis felicitatem subditorum esse statuit, prolixo & erudito sermone in opere suo de regimine Principum. Sunt quoque argumenta, quæ idem illud demonstrant, ex quibus duo tantummodo proferam. Primum Aristot. est principio Polit. estque hoc: cum omnis societas conveniat boni alicujus causa, (omnis enim actio ad aliquod bonum tendit) societas præcipua, quæ civitas est, requirit bonum præstantissimum, quod sine dubio est felicitas, velut in Ethicis jam demonstraverat. Jam quod finis civitatis sit reipubl. finis, & legum, per se patet, & uberius ex iis quæ diximus cap. primo. quoniam videmus, quod publica potestas, ejusdemque constitutio per leges, usque eo introducitur, quatenus ad bonum obtinendum, ad quod aspirat societas civilis, desideratur. Alterum argumentum est, quod finis verus & justus, cujuslibet professionis & studii, ille est, quem optimus profitentium illam re ipsa postulat, & omni conatu intendit. Nimirum finis verus & rectus patris, non ille est, quem sibi pravus parens præfigit, sive propter avaritiam: ut filium faciat mercenarium: sive propter factionem, ut efficiat efferrum & crudelem: sive propter vitia alia contendit, ut pravè educatur: sed finis verus patris est ille, quem pater optimus intendit, qui est perfectio, & salus filii. Ita finis verus judicis is erit, quem optimi judices sibi proponunt, scilicet judicium incorruptum: nequaquam judicium pravorum, qui lucrum est, aut vindicta erga inimicos, aut amicos sibi parare, & res similes. Idem illud docuit Aristot. 3. Ethic. cap. 4. ubi quoque concludit, quod vir bonus, quasi norma sit & mensura rerum expetibilium. Est itaque finis reip. veræ & rectæ is, quem optima resp. reip. sibi pro fine proponit: verum optima resp. civium salutem pro fine sibi proponit: ergo civium salus verus finis est reip. & quod inde sequitur legis. Quod vero optima Resp. pro fine sibi statuatur civium & subditorum salutem, ex eo deducitur, quod dicit Aristot. cap. 13. lib. 7. polit. Verba ipsa paulo ante adduximus, quorum sensus est, quod optima Resp. illa est, per quam civitas bene regitur: illa vero optime administratur, quando felicitatis, quantum fieri potest, particeps est. Et alibi eandem quasi rationem repetens, inquit, *optime enim agere, consentaneum est, qui sub optima reipubl. disciplina reguntur, ex his quæ adsunt, nisi quid præter rationem accidat.* Sed hæc actio optima non impedita, felicitas est, quæ

quæ



quæ est reip. optimæ propria, nisi quis casus extra ordinem accidat: quod est illud, quod subjungit, nisi quid præter rationem accidat. Sed ab Aristotele me converto ad usum & aulam. Videamus quid de Rege optimo sentiat populus & Senatus. Trajanus optimus princeps fuit habitus, & merito talis: quare & optimi eognomen obtinuit, quod ipsi admodum placuit. Plin. in paneg. *Jam quid tam civile, tam senatorium, quam illud additum a nobis Optimi cognomen?* Et sub isto principe etiam ipsi Romani se felices putarunt. Idem Plinius paulo post: *Enimvero quam commune, quam ex aquo, quod felices nos felicem illum predicamus: alternisq; votis hæc faciat, hæc audiat, quasi non dicturi nisi fecerit, comprecamur? Ad quas ille voces lacrymis etiam ac multo pudore suffunditur.* Ex quibus verbis cognoscitur, quod sine adulatione se felices dicebant, & quod data opera, & leni paterno animo Trajanus contendebat ad felicitatem subditorum. Popolari igitur ac senatorio iudicio propositio comprobata est, quod optima Resp. pro fine habeat utilitatem & salutem civium. Sed illa ipsa quoque observatio inserviet ad probandam assertionem præcipuam, ex opinione ministrorum Status, ultra illam Politicorum scientia instructorum. Jam addo cætera testimonia huc facientia. Ferdinandus junior rex Neapoleos in oratione, quam habuit ad populum Neapolitanum, cum se abdicaret imperio, cupiens illis suam indicare de optimo regimine & verè regio mentem, his verbis expressit: *regem esse a fortuna plerumque datur: verum eum regem esse, qui salutem ac felicitatem suorum civium, quasi unicum regnandi finem, rebus omnibus anteponat, id ab ipso tantum ac a propria virtute proficiscitur.* (Guicc. lib. 1. hist.) Ita Rex Ferdinandus ex relatione historica maximi Politici, qualis Guicciardinus fuit, existimavit verum officium, verumque & debitum scopum Regis felicitatem esse subditorum, & eam esse actionem ex regia virtute fluentem. Livia Augusti conjux, in consilio quod marito dedit, detecta Cornelii Cinnæ conjuratione, ut est apud Dionem Cassium, (lib. 55. hist.) inter alia quam plurima quæ dixit, etiam hoc fuit axioma: *nam in hoc principatus instituti sunt, ut saluti subditorum consularur.* Votis, quæ pro Trajano, ejusdemque salute Diis nuncupabantur, volente ipso & consentiente, hæc addebantur: *si bene remp. Ex salute omnium rexerit.* Ita Plin. in Paneg. Quod votum auctoritate Imperatoris comprobatum, & a Senatu admiratione exceptum, planum facit, quis fuerit Imperatoris, & Senatus populi que



Romani sensus de vero reip. fine. *Nuncupare vota & pro eternitate imperii, & pro salute civium, immo pro salute Principum, ac propter illos pro eternitate imperii solebamus: hac pro imperio nostro quae sint verba suscepta, opera praetium est annotare, si bene remp. & ex utilitate omnium rexeris. Digna vota quae semper suscipiantur, semperque solvantur. Egis cum diis ipso te Auctore Caesar Resp. ut te sospitem incolumemque praestarent, si tu ceteros praestitisses. Tiberius in oratione funebri habita ex decreto Senatus in honorem Augusti, dixit, quod in omnibus imperavit, ut ad publicum commodum respiciens. (Dion. lib. 56.) Claudianus quoque in Honorio, quis vulgo finis creditus sit boni principis, significavit dicendo:*

*Tu civem, Patremque geras: Tu consule cunctis,  
Non Tibi.*


Sed omittendo plurima alia testimonia, quae pertinent ad sensum vulgi, & qui in usu cernitur, affero nonnulla scriptorum & scientia & usu gravillimorum Politicorum. Xenophon unus ex iis est, cujus verba haec sunt: *nam Rex eligitur, non ut se molliter curet, sed ut per ipsum ii, qui elegerunt, bene beateque agant. (lib. 3. dedit. & fact. Socrat.)* Cicero pariter magni nominis Senator, & rerum usu excellens scribit: *ut enim tutela, sic procuratio Reipubl. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissi, gerenda est. (lib. 11. de offic.)* Et alibi; *nam moderatori reip. beata civium vita proposita est. Quam felicitatem explicat, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. (de republ.)* Idem Seneca innuit, Neroni scribens: *civium non servitutem tibi traditam, sed tutelam (de Clement.)* Plin. in Paneg. ad Imperatorem Trajanum verba faciens, & in Senatu, satis ostendit, hanc esse Imperatoris mentem, & Senatus, quod finis legum & Reip. sit communis utilitas, cum diceret. *Ago cum Deo, ut sospitem Te, incolumemque praestet, si tu ceteros. Si remp bene, & ex utilitate omnium reges.*

*Exponi-*



Exponitur, quæ & qualisnam sit felicitas,  
quam Politici finem legis ponunt, utrum in sensu collectivo,  
an distributivo. Et dissidium in eare Platonis cum  
Aristotele.

## CAP. V.

onfirmata itaque proposita conclusione, quod salus civitatis  
& civium sit finis legum, & reipubl. non ab re est distincta  
magis cognitione percipere, quid sit illa felicitas, de qualocis ci-  
tatis Politici loquuti sunt, & quomodo intellexerint, quod civitas eam par-  
ticipet. Dico itaque quod ad primum, quod felicitas, quam Aristot. &  
Plato finem legis constituerunt, summum in hac vita bonum sit: hoc est,  
maximum bonum, ad quod homo pervenire possit viribus suæ naturæ  
optimè exultæ. Illud definit Aristoteles per operationem animi, vir-  
tute directam optima, in vita perfecta. (*lib. 1. Ethic. cap. 1.*) Distinxit postea  
virtutes in morales & dianoëticas, subsistens in illis, quæ in hac vita ex-  
ercentur, & naturæ lumine cognoscuntur. De altera enim vita nihil locutus  
est. Et hanc quoque felicitatem, quam transitoriam appellant Theologi,  
Plato intellexit. Nam etiam si illam extulerit ad cognitionem Ideæ boni,  
attamen de ea cognitione locutus est, quæ hic per optimam disciplinam  
haberi potest: quam ille definit, esse facultatem convertendi oculos mentis  
a rebus inferioribus ad vere intelligibiles. (*lib. 7. de Iusto.*) Concludo ita-  
que, quod felicitas, ab hisce binis summis Philosophis pro fine civitatis  
posita, illa est, ad quam hic ab homine viribus naturæ suæ optime  
exultæ perveniri potest: estque porro divisa a Philosopho in felicitatem  
activam, quæ versatur in operationibus virtutis activæ & moralis, & con-  
templativam, quæ consistit in contemplatione scientiarum, & præsertim  
sapientiæ. Hæc sufficiant dixisse de felicitate, quantum ad præsens pro-  
positum. Progredior ad alterum, quomodo dicatur, quod civitas illam  
participet, an universim collecta, an vero in suas divisa partes. Dicerent  
Scholastici collectivè & distributivè. Exemplo me declaro. Nam si di-  
cemus, Apostolos fuisse duodecim, comprehendimus collegium Apostolo-



rutti in sensu colectivo, ut scholæ loquuntur. Nam non nisi de omnibus una sumptis id verum est. Sed cum dicimus Apostolos fuisse sanctos, sensu distributivo verum est, de quolibet separatim, qui sanctus fuit: Petrus, Andreas, Jacobus, & cæteri, omnes ex illis fuerunt sancti. Jam quod ad rem nostram, videtur mens Platonis esse, quod felicitas civitatis, per leges procuranda, collective non distributive talis sit. Hoc est, intentionem legis esse debere, totum corpus civitatis & reipubl. perfectissimum & pulcherrimum efficere, & propterea felix: nequaquam vero quamlibet partem. Exprimit & declarat mentem suam exemplo ab humana pulchritudine capto. (*lib. 4. de Justo sub initium.*) Verba ita sonant. *Quemadmodum enim si quis nos figuram hominis depingentes vituperet, quod pulcherrimis animalis partibus non pulcherrimos etiam colores apponamus: oculi enim pulcherrimum membrum non purpura, sed nigro colore essent depicti: descenter utiq; respondere videamur, ô mirifice, non oportet nos adeo pulchros oculos pingere, ut ne oculi quidem esse videantur, ac neque cætera membra? sed considerare si singulis decorem suum attribuentes, totum pulchrum reddamus.* Et post alios sermones subjungit, ex quibus apparet, quod nolit leges esse sollicitas de felicitate custodum, qui ordo civium præcipuus est, neque militum qui alter est: cum dehinc agricolæ & artifices supersint, qui non sunt partes reipubl. Ex adverso Aristoteles vult, civitatem ita esse felicem, ut etiam quilibet civis eam participet, reprehenditque Platonem his verbis: (*lib. 2. polit. c. 3.*) *Fieri autem non potest, ut civitas tota beata sit, nisi plurimi, si non omnes partes, aut quidam, vitam beatam nacti sint. Non enim eorundem est beatum esse, quorum numero par. Hoc enim contingit toti inesse, partium autem neutri: beatum vero esse nullo modo. Atqui si custodes non sunt beati, qui alii erunt? non enim profecto opifices & multitudo sordidas artes colentium.* Et 7. Polit. cap. 2. concludit eandem esse civitatis felicitatem, quæ cujusvis ex multitudine. Sed quod magis ad rem facit, *cap. 13. & 14. & seq.* ejusd. libri, ut felicem reddat civitatem, introducit disciplinam, sive educationem civium, ut omnes si fieri potest, optimi fiant, utque sic ex virtute agant, quæ felicitas est publica & privata. Sed quid? ipse Plato lib. primo de legib. cujus verba superius adduximus, palam facit, quod idem sentiat, quando de optimis legibus dicit, *cum utentes iis felices efficiant.* Et profecto, si felicitas est actio ex virtute, virtus non nisi in hoc vel illo animo hominis singularis



singularis refidet, qui postea uniantur in communibus deliberationibus & actionibus: & nisi quisq; Senator, civisque, in illa unione ex virtute ageret, quorum foret publica electio, & actio virtuosa? Sanè res quæ animo haud posset concipi. Ita constitutum sit, quod felicitas sperata ex legibus omnium sit civium, in sensu distributivo, sive divisim: cum hæc sit ipse mens, ut hic & ille, unus idemque alter, & sic quilibet sit felix: ita quidem ut illa studeat istum & hunc privatum felicem reddere, eo tamen modo, ut ipse præcipua, imo adæquata destinatio foret, sitque, omnes reddere, quantum fieri potest, felices. Quam ob rem felicitas privati cujuslibet civis per se a legibus intenditur, estque finis per se, ut tamen finis adæquatus sit felicitas omnium civium, & quorumcunque una. De quibus scio me alibi fusius disseruisse, modo sufficit me hoc in loco mentem meam compendio explicasse. Superesset exponendum, utrum felicitas, de quo modo agimus, intelligenda solum de subditis sit, an de illis quoque qui imperant. Verum quoniam quarto loco proposita est opinio, an utilitas imperantium finis sit reipubl. bitem campus erit apertus hanc decidendi quæstionem, quorum lectorem remittimus. Hastenus ex his, quæ diximus binæ colliguntur conclusioes, ad decidendam quæstionem præcedenti capite tractatam: quarum altera est, quod finis ex sua natura verus & rectus regiminis est utilitas communis, & salus civium: altera est, quod in optima resp. & optimo imperio, utilitas communis & felicitas civium finis est non solum secundum naturam, & ex ratione, sed ipso actu & re ipsa. Quod ad optimam resp. ut cognoscatur, quæ illa sit, jam satis est novisse, quod rerum p. aliæ bonæ sunt, aliæ prævæ, (id quod paulo post patebit, & quales sint) & quod ex bonis omnium præstantissima est optima resp. cujus finis in actione & usu versatur, qualem descripsi.



*Utrum finis legum iam expositus sit absolute  
iustus, & semper talis: & demonstratur dari finem natu-  
ralem, & supernaturalem.*

## CAPUT VI.

**E**st itaque secundum bonos politicos, veramque politicam, optimus & verus finis legum, felicitas civium, omnium & singulorum: quam felicitatem ostendimus illam esse, quæ viribus naturæ rectè excultæ acquiri potest. Nihilominus inquirendum est, utrum hic finis apud Politicos optimus, absolute iustus sit, eo pacto, ut omne, quod per eiusmodi finem agitur, semper iustum sit. Audiamus verba ipsius (1. politic. cap. 6.) *Quemadmodum enim Medicorum ars curandi egrotos in infinitum est, & singula artes sui finis in infinitum: quam maxime enim possunt, illud efficere volunt: eorum vero, quæ referuntur ad finem, non in infinitum: finis enim extremum est omnibus.* Quorum verborum hic est sensus, quod quilibet finem suæ artis adipisci, quantum potest, studet: & ita vocem in infinitum ibidem ipse Aristoteles exponit, cum dicit, quam maxime enim possunt, illum efficere volunt: sed res directæ ad illum finem expetuntur tantum, quantum conducunt ad illum obtinendum. Exempli gratia: Medicus sanitatem introducere vult, quam maxime potest: at dosin Rhabarbari non præscribit, quantum sumi potest, sed tot solum scrupulos, quot ad ægrum curandum requiruntur. Quare secundum hanc doctrinam finis verus civitatis, qui est utile publicum, & felicitas iam exposita, expetenda est sine termino, adeoque absolute & semper. Sed ut veritatem cognoscamus, perpendendum est, quod finis noster alius sit naturalis, alius supernaturalis: ut optime distinguit D. Thomas, summus Theologus nec minus Philosophus in Summa. (1. 2. q. 109. artic. 5. ad 5.) Naturalis est, quem hætenus exposuimus. Supernaturalis est, quo beati fruuntur in cœlesti patria. Jam cum in hac ipsa civili vita versus portum æternæ beatitudinis navigemus, neque aliud sit nisi certamen hæc vita nostra, quo supremum hoc præmium acquirimus: necessum est, ut institutio civilis ad illum finem super-  
naturalem



naturalem, tanquam ad ultimum & supremum dirigatur. Et hæc est differentia inter gentilem, & Christianam politicam: nam cum illa alium nesciat finem, quam naturalem, ad quem virtute morali, & contemplativa pertingere licet, finis politicus ultimum & supremum illius constituit finem: cum Christiana, quæ agnoscit supernaturalem felicitatem, ad quam consequendam non sufficiunt habitus, viribus ac dotibus naturalibus acquisiti, sed opus est principio supernaturali, quod gratia est, quæ cum charitate est, virtute Theologica & supernaturali: tum media quoque ad illum ducentia, supernaturalia sunt, veluti Sanctissima Sacramenta. Quare, præter ministerium civile aliud eminentius agnoscimus, quod spirituale est, & a sacerdotibus exercetur, quorum summus Sacerdos & Pontifex Christus est ipse, & in hisce terris vicarius ejusdem Pontifex Romanus. Et eam ob causam, ut apud gentiles civilis principatus potior erat sacerdoti, ita apud nos Christianos summus Pontifex major est omnibus civilibus potestatibus, sive respubl. a pluribus, sive ab uno regatur, & hic vel Regia, vel Imperiali auctoritate se efferat. Doctrina D. Thomæ meretur legi, quæ est in prudentissimo, & eruditissimo opere de regimine Principum. Affero verba ipsa, in quibus quoque causa continetur, quare apud Hebræos Rex erat super sacerdotem.

*Hujus ergo, inquit, (lib. 1. c. 14.) regni Christi ministerium, ut a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis Regibus, sed Sacerdotibus est commissum, & præcipue summo Sacerdoti successori Petri, Christi Vicario Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Christiani oportet esse subditos, sicut ipsi Domino nostro JESU CHRISTO. Sic enim ei, ad quem pertinet cura ultimi finis, subdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & ejus imperio dirigi. Quia igitur sacerdotium gentilium, & totus divinum cultus, erat propter temporalia bona conquirenda, quæ omnia ordinantur ad multitudinis bonum commune, cujus Regi cura incumbit; convenienter sacerdotes gentilium Regibus subdebantur. Sed quia & in veteri lege promittebantur bona terrena, non a demonibus, sed a DEO vero religioso populo exhibenda: inde & in lege veteri sacerdotes Regibus leguntur fuisse subiecti. Sed in nova lege sacerdotium est altius, per quod homines traducuntur ad bona cælestia. Hæc D. Thomas. Sed relicta modo potestate Pontificia, quæ omni sua, qua est eminentia, non directæ est ad*



infringendam potestatem secularem : cum gratia naturam non destruat : sed potius ad corroborandam , perducens illam ad fontem omnis Jurisdictionis, qui est Rex immortalis, cujus gratia Reges mortales imperant. Itaque accedentes ad determinandam propositam dubitationem, respondemus, quod si finis politicus, & summum bonum humanum, in nonnullis æternæ felicitati repugnet, quod accidit, si erit contra divinam legem, illum in ejusmodi casu pro fine sibi constituere, non justum, sed injustum est. Et ratio est, quod finis est mensura rerum ad se directarum : at vero ultimus finis, & supremus cœlestis est felicitas, quare illa mensura est bonitatis, ac malitiæ omnium actionum humanarum, quæcunque etiam illæ sint, & cujus generis : hoc est illæ, quæ ad finem perducunt, bonæ sunt, quæ vero ab eodem deviant, pravæ. Explico conclusionem, & exemplo declaro. Antiochus Imperium Judææ adeptus credidit, diversitatem religionis Hebræorum posse dissensionis inter illos, & cæteros subditos suos esse causam : & ideo ob concordiam, & unionem sui imperii expedire, unam solam colere religionem : sicque Judæos prohibuit observare legem Mosaicam, ac divinam. Hanc Antiochi voluntatem ipsa Sacra Scriptura confirmat : *Scriptum est Rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus, & relinqueret unusquisque legem suam.* Jam finis Politicus per se bonus, videlicet concordia & eadem religio subditorum, contrarius erat fini supernaturali, & idcirco pravus. Quare quoque Mathias Zelo ardens se illi opposuit, occiditque Hebræum violatorem legis divinæ, ac regium ministrum, qui imperabat, volebatque transgressionem. Et ea propter in S. Scriptura laudatur, ac ipsius Phineæ æquatur Zelo : & *Zelatus est legem, sicut fecit Phineas Zamri filius Salomi.* Exemplo sunt tot edicta legesque Imperatorum Romanorum, cultum Christianæ religionis prohibentes, quæ ideo non observandæ erant, neque observabantur a sanctissimis Martyribus, alias observantissimis sanctionum publicarum, superiorum ac Principum, etiam difficilium secundum D. Petri præceptum. Constitutum itaque sit, quod sibi ponere pro fine absolute ultimo & supremo communem utilitatem publicam civitatis, non sit justum. Nam finis absolute supremus est felicitas æterna, ad quam etiam collineare debet Rex princepsque politicus, ut D. Thomas pariter tradit opere citato de regimine principum, cum inquit : *Quia igitur vita, qua in presenti bene vivimus, finis est beatitudo cœlestis, ad Regis officium*



ficiam pertinet, earatione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quam congruit ad cœlestem beatitudinem consequendam: ut scilicet ea precipiat, quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, & eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicit. Est nihilominus bonum Politicum, sive a Politicis solo naturali lumine cognitū, finis ultimus connaturalis, propter ea quæ diximus. Ex quibus deduci potest hæc Practica conclusio: quod finis a Politicis perspectus semper iustus est, dummodo supernaturali non repugnet. In cuius conclusionis expositione persistam aliquantisper, ita ut ex ea sequens caput de Religione deducam.

*Non esse admittendam ob utilitatem politicam ullam veræ religionis corruptionem: at casum incidere, cum prava jam introducta per ferenda est.*

## CAPUT VII.

**Q**uoniam itaque talis est assertio de ultimo politico fine, quod semper sit rectus, dummodo supernaturali non repugnet: perspicuum est, ob nullam politicam utilitatem permittendum esse, ut ulla introducatur corruptela veræ religionis, quæ est Catholica Apostolica Romana. Absque illa enim nemo potest salvari. Quod non animadverterunt principes illi, Europæque principatus, qui veræ ac prisæ religioni, privatæ utilitatis gratia, se sub duxerunt, aut propter Jurisdictionem, quod crederent ea ecclesiastica obscurari, aut aviditate bonorum sacerdotalium, quibus locupletiores se futuros putabant, aut ut illo prætextu legitimi principis se subtraherent imperio. Sed sane permutatio Glaucci est, aurea pro ferreis. Hucque pertinet Joan. Casæ quærela.

*sortem male seligit equam,  
Culmine qui cæli misso sibi sumit abyssum.*

Sub introductione comprehendo restitutionem falsæ religionis, aut partis alicujus sublatoꝝ jam antea rituum illius. Valentinianus Imperator laudabiliter Symmacho denegavit restaurationem Aræ Victoriae in



Curia Romana nomine Senatorum eam a se petenti. Refert illud D. Ambrosius, laudatque in epistola aduersus Symmachum, cum inquit: *Cum vir clarissimus praefectus urbis Symmachus ad Clementiam tuam retulisset, ut ara, quae de urbis Romae curia sublata fuerat, redderetur loco: Et tu Imperator, licet adhuc in minoris aevi tyrocinio florentibus annis novus, fidei tamen virtute veteranus, obsecrata gentilium non probares &c.* Et ponamus verum fuisse, quod ob religionis mutationem sinistri illi casus acciderint urbi Romae, ut ethnici dicebant, bellorum scilicet, famis, ac tandem ipsius urbis occupationis: nihilominus non fuisset concedendus ritus falsus, in praedictum veram religionis, ob bona temporalia. Caeterum haud esse verum, quod ob Christianam religionem illa miseria evenerint, satis ostendit idem ille S. Episcopus, uti quoque Prudentius, & fuse D. Augustinus de Civit: DEI.

Verum quando vitium ac haeresis jam eas egit radices, ut non sine gravi damno Catholicorum, ac periculoso civili bello extirpari possit, eo casu, cum Zizania evelli nequeant absque seminis boni extirpatione, necessum est tanquam minus malum eam tolerare. Illuc tendebat Christi praecipuum jubentis, ut utrumque sinerent ad messis tempus crescere; ut recte observavit inter alios D. Augustinus lib. 3. in epistolam Parmeniani cap. 2. & D. Thomas eximius Doctor, in Summ. 2.2. q. 10. art. 8. ad. 1. & q. 11. art. 3. ad 3. Eo erat animo Henricus IV. postquam cum ecclesia in gratiam rediisset; pertulit ille haeresin, attamen semper, quantum potuit, Romanam religionem evexit. Et inter alias actiones suas in Catholicorum favorem exercitas, publicum fuit testimonium, quod in illa disputatione, inter Cardinalem Perronium, & Dn. Plessium habita se praesente Fontebellaquei, Perronius Cardinalis vicisset. Verba Regis super hac re Espernonio scripta fuerunt, ut refert Petrus Matthaei: Amice, Diocoesis Ebroicensis (significabat Cardinalem Perronium Episcopum Ebroicensem) praevaluit illi Salmurienti, (significabat Dn. Plessium Governatorem Salmurientem.) Quantum torserit ejusmodi testimonium Dn. de Plessis, ibidem exponit Petrus Matthaei. Romae mihi Cardinalis Ossatius, vir singularis doctrinae, & vitae integerrimae, dixit, magno suo gaudio plurimum profuisse Catholicis, idemque induxisse plurimos ex praecipuis, ut redirent cum ecclesia in gratiam. Addiditque religionis dissidium transiisse ex *quid Juris*, (quod tricus magis involutum est, ac plura habet effugia,) ad *quid facti*, quod



(quod transparet magis.) Illudque ibi ita evenit: etenim cum quaestio esset utrum Dn. de Plessis recte, vel secus citasset ex S. S. loca, quae falso inde adducta eidem objiciebat Card. Perronius, male citata fuisse deprehensum est. Hinc sciri porro potuit, quid veri habeat totum opus contra Missam scriptum, in quo loca erant adducta. Verum non solum corruptiones permittendae non sunt, sed neque etiam periculum vicinum: quod praecipue consistit in consuetudine contagiosa haereticorum. Dixi contagiosa: nam omnis haeresis malum est contagiosum, alia tamen alia magis. Enimvero nonnulli haeretici Zelotae sunt in secta sua, qui nihil omittunt, quin quos possint infectent. Et tales maxime Calviniani sunt. Verum est, quod res tutior sit, omnem consuetudinem prohibere cum quocunque haeretico, aut solum concedere, cum opus est, ut ita negotiis locisque adstringantur, ut omne periculum contagii tollatur, si poterit fieri. Aliter si fecerint, metuant Principes periculum terreno imminens statui, si iactura caelestis salutis parum ipsos movet.

Ejus rei Galliae regnum vivum est exemplum, quantum illud decrementum auctoritatis & redituum passum sit, cum redituum regionum magnam partem haeretici occupassent. Ut taceam seditiones, direptiones, ruinas regni, ac pericula, in quae saepenumero ipsi reges venerunt, qui parum abfuit, quin caperentur, velut Carolus Nonus.

*Quod licet verus finis constitutus sit, nihilominus considerandae sint caeterae tres sententiae de fine legis, & quam obrem.*

## C A P. VIII.

**D**ebet videri, haud opus esse de ceteris sententiis de vero fine rectoque legum recensitis differere, cum deprehensum sit, primam esse veram: scilicet, quod commune bonum civiumque salus sit verus legum finis: unde remanet reliquas opiniones esse falsas. Nihilominus non se res eo habet modo. Enimvero ex iis, quae diximus, apparere potest, quod licet ex sua natura legum finis sit felicitas exposita, attamen re ipsa



non finis est, nisi reipubl. optimæ. Sed est res difficillima ejusmodi remp. habere. Non enim omnes gentes capaces sunt ejus: præterquam quod jam plurimæ institutæ sunt, quæ mutari nequeunt: quare eatenus oportet prudentem politicum leges accommodare ad illam imperii formam. Verum quidem est, quod quantum illa possit prudentia ac auctoritate ipsius corrigi, studebit ut fiat: attamen absque motibus, & quantum eam obrem permittit natura eorum, qui imperii participes sunt, qui metuunt facile quamvis mutationis speciem, & sæpenumero qui ei rei student, infidelitatis & majestatis læsæ arguunt: veluti accidit Regi Spartanorum Agidi, cupienti remp. Spartanam ad instituta Lycurgi revocare, unde infeliciter discesserat. Ut difficile sit leges condere alterius finis gratia, quam illius, quem illa reipubl. forma admittet, in qua leges sanciantur. Qui finis in nonnullis rebusp. non ultra virtutem, quæ fortitudo dicitur, tendit, ut postea audiemus, & in aliis ad pacem & civium concordiam: qua de causa in quibusdam rebusp. illæ opiniones erunt veræ, quas secundo & tertio loco numeravi. Ad ultimam tandem quod attinet, falsa & prava est eo modo, ut allata est: ut qui imperat, pro fine sibi ponat utile suum, ita ut quicquid in gratiam populi faciat, agat solum quoniam ipsi prodest, ideoque populum etiam opprimat, deprimatque, si ita suo expediat principatui. Est adeo evidens iniquitas finis istiusmodi, ut Aristoteles ponat pro differentia constituyente principatum pravum, dicens, pravum esse imperium, ac vitiosam remp. quæ solam utilitatem imperantis spectat. Verba ejus sunt, quæ inferius postea plenius considerabimus: *perspicuum igitur est, omnes Resp. quæ commune bonum propositum habent, has quidem rectas esse secundum simpliciter justum: quæcunque vero suum tantum propriumque, cuncta vitiose sunt, & migrationes exitusque e rectis rebus publ. (lib. 3. polic. cap. 4.)* Nihilominus cum plurimi contrarium crediderint, adductis argumentis admodum verosimilibus, consultum erit instituere examen & opinionis, & rationum in gratiam illius allatarum; ut illa rejecta, hisque solutis, vera jamque comprobata sententia clara magis, magisque perspicua maneat. At vero ex eodem examine binas alias assertiones consequemur. Altera erit, quod Princeps una cum subditorum salute studere etiam propriæ per se, & non ex accidenti solum possit, ut communiter Interpretes Aristotelis existimarunt, sed vero & Aristoteli in eo adversantes: altera quod etiam  
forma



forma imperii prava nihilominus communiter toleranda sit, neque contra illam insurgendum. Quæ omnia distincte & breviter audiemus.

*Proponitur examinanda opinio: an utilitas Imperantis finis rectus sit & verus legum. Distinguantur significata, & argumenta pro illa opinione afferuntur.*

## CAP. IX.

**O**pinio igitur multorum est, quod Imperantis utilitas sit finis verus legum: & quoniam vox status uno modo formam principatus significat, qui dominatur, ut superius dictum est, ideo plurimi dicunt finem esse utilitatem status, ut idem illud significant, quod modo dico, quod sit scilicet utilitas Imperantis. Sed monendum nihilominus, quod hoc pronuntiatum (utilitas Imperantis) & ad personam referatur, sive personas, quæ impræsentiarum dominantur, & ad formam Reipubl: at utilitas status ad formam imperii restringitur. Explico me in dominatu unius Augusti exemplo. Ibi forma Reip. principatus erat, in quo unus omnia gubernat; cujus commodum in eo consistebat, ut in id incumberet, non in imperium plurium converteretur. Ejusmodi conversio Romæ accidit expulso Tarquinio superbo, & mortuo Caligula: ad eandem aspiravit Senatus Romanus, qui principio tentavit illum ad formam pristinæ libertatis reducere. At utilitas Imperantis contendit ad conservandum sibi imperium, licet cum præjudicio formæ post excessum suum ex hac vita. Et talem propriam utilitatem animo intuitus est Augustus, cum Tiberium, Lucio & Cajo Cæsare nepotibus defunctis, adoptaret: qui Tiberius, licet filius ipsi esset Drusus legitimus, attamen jussu Augusti Germanicum adoptavit, cui etiam legiones Germanas tradiderat ducendas. Id omne tendebat ad tutandam personam Augusti adversus insidias, quæ a cæteris civibus, & a propria familia sibi fieri possent. Adversus illas sibi prospiciebat, parando tot ultores, si læsus fuisset, quot adoptasset: adversus has se muniebat, dividens quasi æmula potentia ipsos illos, ut neq; ipsi inter se obæ-

mu.



mulationem possent convenire in sui perniciem, neq; illorum quispiam, sine communi consensu, audere parricidium, cujus alter vindex exstiturus esset; eoq; prætextu animos militum, & civium, tandemq; imperium acquisivit. Hunc Augusti finem Tacitus innuit: *At hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit, adscirig; a Tiberio per adoptionem jusit, quamquam esset in domo Tiberia filius juvenis: sed quo pluribus munimentis insisteret.* Adoptiones itaq; vergebant in Imperantis commodum, nimirum Augusti, at non æq; in imperii, & conservationem Monarchiæ. Imminabat enim periculum, si non ante, minimum mortuo Tiberio, ne bini illi patruales, & per adoptionem fratres, Germanicus & Drusus, de imperio contenderent, illudq; distraherent. Quod ipse Tacitus affirmabat, cum referret judicium, quod ultimis Augusti temporibus fiebat, de futuro statu post ipsius mortem. *Et erat (de Germanico & Druso verba faciens) serviendum femina, duobusq; insuper adolescentibus, qui rem publicam interim premant, quandoq; distrabant.* Hoc itaq; patet distinctæ sunt binæ hæ significationes de utilitate imperantis; scilicet in utilitatem illius, in cujus manu est status, & utilitatem formæ illius.

Jam vero pauci erunt, qui non fatebuntur, nimis è re esse dominantis, etq; propter vitiosum finem illum principis cujusdã, qui cum se solummodo intueatur, non pensi habet, quod fenestram patefaciat perturbationibus formæ principatus, & ideo conspirationibus, & seditionibus gravibus: cum videatur ejusmodi finis similis sententiæ istius efferi principis, qui cupiebat mundum secum finire. Perpendam nihilominus propositam opinionem, etiam in hoc significato inferius capite undecimo; interea hic primum illam pertractabo in significato, utilitatis status, scilicet cum conservationem & confirmationem formæ status significat, an sit finis verus, & legitimus legum. Et apparet quod ita se res habeat. Nam principio videtur, quod hæc sit communis sententia principum, ministrorum, subditorumq;, quorum illi puniunt delicta in statum, ut illa læsæ Majestatis, non æque privatorum injurias: & isti hæc delicta majoris æstimant, quam illa in privatos. Itaq; commodum status magis legum finis est, quam utilitas privatorum, in quorum utilitate communi dicebatur consistere legum finis, ex sententia prima superius comprobata. Hæc subditorum opinio confirmatur reverentia, quæ animis nostris est impressa erga Majestatem principis & principatum, quos ut inviolabiles reputamus. Estq; recte dictum,



## De Iusto Status.

Etum, quod Dei digito reverentia Principis fronti sit inscripta. Eadem opinio Aristotelis quoq; doctrina comprobatur, qui inquit, quod leges ad formam reipublicæ accommodandæ sunt: itaq; formam istam debent pro fine suo sibi proponere. Hæc sunt Aristotelis verba: *Sunt enim leges omnes ad Remp. accommodandæ, non autem Resp. ad legem. Est enim resp. institutio civitatis circa magistratus, honoresq; publicos, quemadmodum avertant impertiri, & in quo potestas, auctoritasq; summa debeat consistere, & quis sit finis cuiusq; civitatis. Leges autem earum variæ sunt, per quas modus gubernandæ reip. significatur, secundum quas debeant illi, qui sunt in potestate imperare, & prohibere transgressores. (lib. 4. pol. c. 1.)* Apparet quoq; idem Platonem voluisse, ut lex ad formam reip. accommodetur, cum primo loco constitutionem magistratuum poneret, & secundo leges, quæ à magistratu observandæ sunt. *Dua profecto, inquit, sunt hæc species in ornatu reip. Prima magistratuum constitutio, quot esse oporteat, & quo pacto constitui: altera de legib. magistratui attribuendis, quot qualesq; singulis accommodandæ (lib. 7. de L.)* Videtur itaq; Platonem voluisse, leges ad magistratum accommodari debere, & propterea ad rempublicam. In magistratibus enim, eorumq; constitutione forma consistit reip. ut capite primo traditum est. Altera ratio est, quod virtus civis ad remp. debeat referri, ut tradit Aristot. quod postea alibi uberius quoq; exponit, ubi inquit, quod pueri debeant moribus imbui, formæ reip. institutæ convenientibus. Hæc ejus verba sunt: *Oportet enim ad singula gubernanda genera disciplinam accommodari. Nam mos unicuiq; proprius consuevit, & servare Remp. & ab initio constituere: ceu popularis mos popularem: & paucorum potentia accommodatus mos eam, quæ consistit in paucorum gubernatione. Semper autem melior mos causa est melioris reip. (lib. 8. cap. 1. polit.)* Si igitur finis educationis puerorum est conservatio reip. talis conservatio finis erit legis: nam leges de disciplina & educatione illæ sunt, quæ quam proxime respiciunt virtutis, & hinc felicitatis adeptionem. Quamobrem virtus & felicitas civium, ad remp. ejusq; formam dirigentur, tanquam ad finem.



*Quod forma Reip. eiusdemq; conservatio, non sit finis ultimus legum : quomodo sit finis subordinatus, & proximus ultimo, in optima republica.*

## CAP. X.

**S**ufficeret forte dissolvere rationes modo allatas : quoniam verã opinio jam confirmata est. Nihilominus in re tanti momenti, quæ basis est politicarum veritatum, præstabit abundasse in confirmanda, & explananda veritate. Præmitto itaq; quod indubiũ jam non vocetur, utrum oporteat cura etiam suspicaci procurare conservationem reip. Nam jam visum est, quod absq; potestate publica, quæ ipse resp. est, sive in illa consistit, civitas conservari non possit, nec, quod inde sequitur, obtineri proposita civium felicitas. Sed quæritur, utrum conservatio dictæ formæ quærenda sit ut finis, an ut medium necessarium, & vero fini conjunctum. Id est, ut me explicem exemplo reip. Venetæ, utrum ad conservationem suæ formæ perfectissimæ, tanquam ad finem, dirigenda sit communis felicitas civium ipsorum, an vero illa forma, & harmonia mirabilis convertenda sit ad id, ut felices reddamus, quantum fieri possit, cives quoscunq; quasi is illius finis sit. Satis apparet, quod ea sit connexio unius rei cum altera, ut si forma optimæ reip. tollatur, pereat quoq; communis civium felicitas; & si hæc negligeretur ab imperante, necessario resp. cessaret optima esse, & fortassis bona. Versatur itaq; disputatio circa hanc subtilitatem, quam ex istis duabus rebus, quas diximus, finis alterius sit in optima rep: ad quod respondebit prima conclusio. Sed quoniam exponendum quoq; est, quid statuendum in rebus publ. non optimis, & pravis, quæstioni respondebitur sumptæ tam latè, per secundam, & tertiam conclusionem. Sed præmitto alterum hoc monitum : licet supra definiverim rem publicam capite primo, attamen illam non distinxì in suas species, cum id faciendum sit, ubi egero de bonitate formæ reipublicæ, quod succedit huic disquisitioni de Justitia finis. Quare de speciebus id tantum dixi, quod exemplum ipsum commonstrare potest, ne plus ultra te in cognitionem politicam deducere; fuitq; hoc ipsum, quod alij status regantur ab uno solo, veluti regnum; alij à pluribus,



pluribus, ut Venetiæ; alius ab universo populo, ut olim Roma. Et quod alia respubl. optima sit, alia non optima: Jam addo, quod respubl. aliæ bonæ sint, aliæ prævæ. Quas distinctiones, ipsarumque partes postea habebimus loco jam dicto fusius. Interea hæc sufficiat scire, gratia illius quod hic loci quaeritur, & determinandum est. Sit jam hæc prima conclusio: quod in optima rep: forma non est ipsius finis, sed illa dirigitur ad communem civium felicitatem, tanquam ad suum finem. Tendit vero illuc forma tanquam medium maxime vicinum, & proximum. Quare etiam pari sollicitudine, aut minore paulo conservatur, qua communis felicitas procuratur. Iam superius affirmata est assertio, quod communis felicitas finis sit, ideoque forma reipublicæ non potest esse ultimus finis, sed solum ultimo inserviens. Adde jam aliam probationem, quæ ex contemplatione originis civitatis, & reip. spontaneæ, non violentæ oritur, acciditque, cum certa multitudo, casu quodam collecta eo fine, ut ibi domicilium ac sedem collocet, perpendit, non posse se una vivere, nisi constituat quempiam, qui curam habeat rerum communium, & casuum cum potestate publica. Talis fuit origo Reipublicæ Venetæ: etenim cum confluxisset ad paludes illas ex vicinis urbibus maxima hominum multitudo, ut Barbarorum effugerent excidium, jamque morari ibi constituissent, destinavit quisnam prospicere communibus negotiis, & justitiæ, & publicis negotiis vacare deberet. Perpendatur jam quis fuerit finis in hac constituentium institutione. Certum est haud alium excogitari posse, quam quod bene regi voluerint, elegerintque cum numerum personarum, & ea conditione, quem putaverunt ad procurandam felicitatem communem istos eligentium, quam maxime convenire, & è re esse. Ita ut ad commune eorundem bonum direxerint formam regiminis instituti: neququam vero ex adverso animo intenderunt, ut tales constituerent, qui sui curam haberent, suæque securitatis & potentia, ac uterentur bonis parentium propter finem sui status. Sane non enim sibi præfixerunt scopum isti homines, æque liberi, ac nemini subiecti, cum quosdam ex ipsorum numero extollerent, ut ad utile paucorum istorum dirigerent, iisque manciparent omnium salutem, sed planè alia erat illis mens, videlicet ut jurisdictio, quam introducebant, & personæ quas constituebant, tenerentur curare omni conatu, & viribus salutem omnium, & ut sustinerent usque eo jurisdictionem concessam ipsis, quatenus ea ad commune bonum opus foret: ideoque cum cernerent in



forma regiminis, principio instituta, quoddam vitium, ratione quaesiti communis beneficii, coeperunt illam mutare. Ita Veneti principio consulibus Rempublicam tradidere gerendam, deinde Tribunis, postea Duci. Et initio deliberationes de republica habebat civium coetus: postea vero tempore Ducis Ciani certis familiis id commissum est, prout ulu compererant, profuturum magis communi salutis. Ex hac dissertatione tale colligitur argumentum, & probatio assertionis:

*Is vere finis est Reipubl. & legis, propter quem ab initio naturaliter ordinata, & constituta est resp:*

*At Respubl. ab initio naturaliter ordinata & constituta fuit, propter finem communis civium salutis, neutiquam vero ob finem formae reipubl. Igitur communis civium salutis vere finis legum est.*

Argumentum formari sic poterit melius:

*Finis, propter quem ab initio instituta, cum naturalis & spontanea ejus origo est, non violenta, fuit resp., is vere finis est legum:*

*Communis civium salutis is est, ob quem initio instituta fuit respubl.*

*Igitur communis civium salutis verus legum finis est.*

Major satis patet. Minor ex dictis constat, & confirmatur per id, quod dicit Aristoteles & Plato, quod quousque gubernant Rerump. Rectores secundum illum verum finem, ob quem instituta fuit, non est suave imperare, verum grave: etenim non propria utilitas, sed subditorum procuratur. Aristotelis haec sunt verba: *postulantes pro parte quempiam id obire, & visere bonum suum, quem admodum prius ipse, cum magistratum gereret, animo providebat utilitatem ejus. (l. 3. pol. c. 4.)* Et Plato idem etiam docet. *Quippe si bonorum virorum extaret civitas, in ea ut arbitror haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certetur imperandi cupiditate, ibique pateret revera, legitimum principem non sui ipsius, sed ejus, qui sub ipso est, commoditatem respicere. lib. c. 1. de Justo.)*

Experiebatur dictam molestiam in imperio D. Gregorius, qui quaerebatur quietem suam monasticam amissam, propterea quod ad Pontificatum assumptus fuerat. Et Imperator Tiberius ostendit, ipsum agnoscere, quod rationi consonum sit, formam reip. instituere ad communem salutem, cum proponeret, licet simulatè mutationem Monarchiae in imperium plurium, quod ita negotia publica rectius peragi possent. *Proinde in civitate tot illustribus viris subnixi, non ad unum omnia deferrent; plures facilius munia reip. sociatis laboribus executuros. (Tac. lib. 1. annal.)* Vcnio



Venio jam ad alteram assertionem de republica non optima, & prava. In rebus, quæ ab optima deflectunt, & magis adhuc in pravis, ipsarum forma non esse debet legum finis. Dixi quod non esse debet, non autem quod non sit. Nam in pravis rebus, finis re ipsa existens, est earum conservatio, & stabilitas. Illud verissimè Plato dicit 4. de legib. Ath. *Sic accipe. Leges, ut ajunt, ponit semper in civitate, quod dominatur. Nonne? Clin. Illicq. Athe. Numquid existimas, inquiunt, vel populum superantem, vel aliam quampiã rem, vel Tyrannum, ad aliud potius sponte leges laturum, quam ad utilitatẽ suam, b. e. sui principatus stabilitatem? Clin. Non ad aliud.* Iam probo conclusionem, quod non debeat esse finis. Etenim si forma optimæ reip. non debet esse finis, id est, ultimus, sed inserviens communi salutis, multo minus erit finis forma reip. non optimæ, licet bonæ, minusq; adhuc forma reip. pravae finis legum esse poterit. Idem confirmo auctoritate Platonis, qui inquit, loco paulo ante citato, de legibus, gratia stabilitatis formæ reip. pravae conditis: *qui autem aliquarum gratia partium* (i. e. ad stabiliendam rem, in qua populus dominatur, vel illam, ubi divites) *leges condunt, eos non cives sed seditiosos putamus, & jura sua sic ab eis frustra vocari censemus.* Itaq; eas non pro legibus Plato reputat, quæ ad formam & stabilitatem reipublicæ pravae diriguntur, tanquam ad finem. Adverto propterea, quod in rebus, etiam pravis forma reip. meritò toleranda est, & conservanda, nisi quousq; licuerit absq; seditione, & turbis impetrare à publica potestate correctionẽ: quo fini Syracusas tendebat Plato, à Dione excitatus ad Dionysio persuadendum, ut relicta tyrannica forma vellet reducere regimen & principatum suum ad formam Laeoniam. Ceterum de conservatione formæ reip. pravae, & quomodo, & quousq; servanda sit, legendum erit cap. vigesimum inferius, ubi de ea re disseram. Superest ut dissolvamus argumenta cap. 8. adducta, adversus assertionem præsentem.

*Dissolvuntur argumenta cap. octavo prolata, quod forma status, ejusdemq; stabilitas, legum finis sit.*

## C A P. XI.

**A**d primum igitur argumentum respondetur, non consequentiam validam

D 3

dam



dam esse, Princeps & Principatus inviolatè conservari debent à subditis, E. finis principis & principatus sui ipsius conservatio est. Nam domi patrem super omnia revereri debet filius, eumq; violare impietas est insignis, & severe punitur a legibus & Deo, nihilominus pater rem familiarem administrat in commodum filiorum, & non in sui ipsius, veluti finis præcipui domus. Iam tum dixi, & inferius ostendam, esse conservandam status formam, nec violandam principis personam, aut rectorum reipublicæ, etiamsi pravi sint, & id ob communem regulam, veluti de hinc uberius exponam. Interea auream D. Thom. doctrinam appono, estq; *esse autem hoc multitudini periculosum, & ejus rectoribus, si privata præsumptione aliqui attentarent Præsidentium necem, etiam Tyrannorum: quia secundum sententiam Salomonis, dissipat impios Rex sapiens: majus igitur ex hujus præsumptione immineret periculum multitudini de amissione regis, quam remedium de subtractione Tyranni. (lib. 1. cap. 6.)*

Quantum deinde ad hoc, quod delicta in Principem puniuntur severius, quam peccata in privatos, sciendum est, quod peccata in privatos, punita à legibus ordinaria pœna, injuriæ sunt illatæ huic vel illi civi seorsim, nequaquam omnibus simul, etiamsi sensu distributivo, & partitivum; ejus generis esset, si quis pestem populo inferret, fontem veneno inficeret, de quo hauriret universus populus, aut dirueret aggerem vallumq; propter quam ruinam universum territorium cum ipsa civitate submergi posset. Sanè paria forent delicta, nec levius punienda illis adversus majestatem commissis: imò ex mente optimorum & celebrium Principum, commune damnum illo Principis plus deestandum esset. Ita Codrus Rex gloriosus sensit: qui mori anabat, ne populus Atheniensis, cujus Rex erat, à Thracib. vinceretur. Bini Decij, non reges, sed Consules devoverunt se pro populi Romani & legionum victoria. Sed quid? Ottho. Imperator delictis deditus, attamen ut impediret militum suorum stragem, & subditorum damna, se ipsum interemit: *An ego tantum Romanae pubis, tot egregios exercitus, sterni rursus, & reipublicæ eripi patiar? Eat hic mecum animus, tanquam perituri pro me fueritis: sed este superstes.* Ita ille.

Quod ad secundum argumentum, quod leges accommodandæ sint ad rempubl. ejusq; formam, ideòq; resp. & forma illius finis sit legum, neq; hæc bona est consequentia. Et enim postquam legis lator sibi pro fine felicitatem civium præfixit, quam introducere debet generatim, in sensu distributivo,



butivo, sequitur hanc sollicitudinē alia de eligenda formā reipublicā, natura & moribus populi conveniente: quā peracta electione, incipiet tum demū leges ordine explicare, ita ut simul cum fine salutis communis distributionē magistratum exaquet, & munus cuiuscunq; ut propositam communem salutem procuret. Ita ut quidem verum sit, quod leges se accommodent ad rempublicam, nam anteit electio formæ reip. antequam leges explicentur: sed electio formæ reipubl. præcessit, quod finis propositus sit salutis publicæ, eligendo illam formam, quæ indicatur magis conveniens ad communem utilitatem, & felicitatem populi. Et quod de fine deliberatio electionem formæ reip. præcedat, ex solo examine originis reip. apparet. Nam ut persistamus in exemplo reip. Venetæ, quæro, illam primam reip. formam, quam elegerunt, quam ob causam elegerint? Certè aliam proferre non possumus, quam quod illam arbitrati sunt commodiorem ad bonum regimen, & ad effectus in institutione reip. ab ipsis quæsitos, qui erant ut facultates essent & personæ tutæ, & vitam tandem optimam consequerentur. Quicquid autem de legibus dixi in ipsa constitutione sancitis, & origine naturali, idem dictum velim de illis, quæ progressu temporis conditæ sunt, cum jam resp. formata est, imo diu jam stetit. Etenim vel respiciunt proximè commodum privatorum: ut leges de contractibus & ultimis voluntatibus, & similes, & istæ sine dubio pertinent ad commodum ipsorum subditorum: aut proximè respiciunt utile publicum, hoc est Rectorem, vel formationem reip. ita pro fine ultimo ipsius reip. finem agnoscunt, quem jam tum ostendimus, commune esse bonum distributum privatorum, eorumq; felicitatem. Ad tertium argumentum respondeo, quod non valet consequentia, quæ hæc est: virtus civium refertur ad remp. igitur ejusdem finis ultimus est conservatio reip. Nam ita inferendum esset, igitur finis suus ultimus & supremus est finis ipsius reip. quod est bonum commune, & communis felicitas, ut jam probavimus & argumentis, & auctoritatibus tam Philosophorum Aristot. Platonis, aliorumq; quàm hominum politicorum & resp. administrantium. Colligitur nihilominus ex iis quæ dicta sunt, quod finis civitatis civiumq; possit dici, quod sit forma reip. ejusdemq; conservatio, intellecto fine proximo, & eum finem proximum significavit Aristot. hisce verbis: *Eodem igitur pacto, & civium, et si dissimiles sunt, salus communio- nis officium est. Resp. enim communio est. Quare necessum est, virtutem civis ad remp. referri: at de ultimo fine conclusio falsa foret.* Quod



*Quod Princeps, vel Imperans, non sibi proponere potest proprium suum commodum pro fine : attamen querere illud potest, & de modo binæ afferuntur opinioniones : una, quod per accidens solum, altera, quod per se etiam possit.*

## CAP. XII.

**A**ltera erat significatio, alteraq; hinc exoriens quæstio, an is qui imperat finem possit sibi præfigere propriam utilitatem, distinctam à conservatione, & stabilitate formæ regiminis. Apparet vero facili negotio quod non liceat; nam si verus finis formæ imperii non est, quomodo erit persona singularis modo imperantis? Enimvero si tota Jurisdictio directa est ad commodum subditorum, multo magis denominatio hujus vel illius personæ illuc directa erit: & si est commodum commune civium, quomodo erit privatum & proprium Imperantis? Ceterum Arist. 3. pol. 4. ut idem ostendat, argumentum profert firmissimum, estq; quod imperium aliud in servos est, aliud in liberos: Imperiû in servos, Imperantis commodi gratia est, illud vero in liberos est utilitatis ergo subditorum, aut propter utile quod commune est ambobus. Ita Aristot. qui prius membrum declarat, quod licet tale imperium conducatur servo natura æq; ut domino natura, nihilominus tendit ad id quod hero prodest, nec curat utile servi, nisi per accidens, quatenus heri imperium deficientibus servis consistere nequit. Estq; mens ipsius, quod alii servi sint vi tantum tales, ut bello capti, alii naturâ, ut sunt homines agrestes, & carentes ingenio apto ad se regendos, quare iisdem opus est, ut ab aliis regantur, quibus ipsi vicissim corporis ministerio serviunt, velut instrumentum animatum domus: qua de re videatur Aristoteles lib. primo Politic. cap. 3. ubi fusius de eo disserit. Hisce servis igitur dominium herile utile est: nam inde vitam habent, & indigentia præsidium, & ducem morum, quousq; capaces sunt. Est de in hero utile imperium, ob vitæ commoditatem, quam capit à servo, quod mandata sua exequatur. Attamen dominus eousq; custodit, juvatq; ser-

vum



vum quousq; utilis est servituti domesticæ. Estq; fundamentum, cum sit instrumentum domus, quamvis animatum, ab hero possidetur, ut ceteræ suæ facultates, quæ non ab hero in pretio habentur, æstimanturq; nisi quatenus conducunt domui, & cum ob finem eadem conservat & custodit. Et re vera deridendus esset, qui assereret, se amare vinum alterius finis gratia, quam ut illouatur, aut ad bibendum, aut vendendum, aut propter usum alium, ut pariter dicebat Aristoteles. *lib. 6. Eth. c. 2.*

Alterum membrum ibidem declarat, atq; etiam corroborat quadam quasi inductione, per imperium domesticum, quo pater familias filios regit, conjugem, omnemq; domum. Ejusmodi imperium, inquit ille, *aut gratia est eorum qui gubernantur, aut gratia alicujus quod sit utrisq; commune.* Quorum omnium argumentorum virtute concluditur, quod non liceat Principi, vel imperanti dirigere imperium ad utile proprium, velut ad finem. Et sanè Aristoteles & Plato adeò hoc verum habuerunt, ut pro fundamento posuerint, & differentia malam remp. constituyente: quemadmodum imperare communis commodi gratia, constituerunt differentiam bonam rempublicam constituentem. Verba Aristotelis adduxi superius cap. 7. in hac parte, quorsum remitto lectorem: & cum Tyrannum definiret Aristoteles hac illum differentia constituebat, dicens: *Tyrannidem enim esse dicimus dominatum unius ad proprium commodum tendentis.* Tandem itaq; concludamus, finem facere legis & imperii imperantis proprium commodum, res est detestanda, per quam rem imperium, cujuscunq; etiam foret speciei, pravum fit.

Sed succedit quaestio altera, an imperans utile suum querere in imperio non tanquam finem, sed alio quodam modo possit. Et respondetur quod liceat, & consentiunt in eo politici scriptores, quod minimum per accidens concessum sit Principi utile suum querere, imò re ipsa in illud incubat. Et Aristoteles hujus rei exemplum proponit in nauta, qui dum bene vectores conducit, se ipsum quoq; servat, cum in eadem unà naviget navi.

Capite proximo audiemus hujus sententiæ mentem, & auctores, & rationes. Aristoteles quoq; docet verbis illis superius citatis ex tertio polit. cap. 4. quod peccet imperans suum solum procurans commodum: non tamen capropter vetat, non licere eidem una cum commodo aliorum suo quoq; dare operam. At ego sustinco posse principem, imperantemq; etiã per se utile suum procurare, cum communi tanquam fini invigilat. Ex-

L

ponam



ponam primò opiniones, unà cum expositione vocabulorum *per se & per accidens*, & adducam argumenta aduersæ sententiæ.

*Exponuntur vocabula utilis expetibilis per se & per accidens : & afferuntur argumenta pro confirmanda sententia, quod Princeps solum per accidens utile debeat expetere.*

### CAPUT XIII.

**R**emittentes itaq; expositionem vocabulorum *per se & per accidens*, quantum ad utile expetendum, sui vel aliorum gratia, bini modi occurrunt, quorum unus pendet a ratione causæ finalis, alter a ratione causæ efficientis. Primus modus est, cum expetentes rem quampiam ut finem, deprehendimus opus esse aliis nonnullis rebus ad illam obtinendam, & eas eousq; curamus, quatenus ad alteram acquisitionem requiruntur. Illæ vero res, quæ solum expetuntur, ut ipsarum adminiculo alias obtineamus, expetuntur per accidens. Aristoteles dixit expeti *propter aliud*, primo Ethic. at octavo cap. 3. dixit, expeti per *accidens*. Illæ res quas cupimus, ut illis ipsis fruamur, hoc est, in quibus appetitus finitur, dicuntur expeti per se: intercedit tamen inter illas res *cupitas per se & per accidens* aliud quoddam genus intermedium, & sunt res illæ, quæ quidem propter alias expetuntur, attamen eo modo, ut licet illud non obtineatur, cui adjumento esse debent, nihilominus expeterentur. Illas vocavit Aristoteles primo Ethic. *per se & propter alios expetibiles*: ejusq; generis virtutes sunt, quæ propter felicitatem expetuntur, ita tamen ut etiamsi alias felices esse possimus, nihilominus virtutes cuperemus.

Alter modus est, quum rem quampiam cupimus, & appetitum nostrum in re illa firmamus, ex quâ redundat quoddam ad nos commodum, ut ut à nobis non animadversum: exempli gratiâ, in vera amicitia utile unius amici ejusq; incrementum in alterius vergit commodum, ob mutuam inter ipsos communionem. Ideoq; cum amicus alteri cupit majus quoddam commodum, optat illi quidpiam, quod voventi ipsi prodest: nihilominus

minus



minus, cum desiderium veri amici in utilitate alterius subsistat, nec in se ipsum redeat, (aliàs enim amicitia foret utilis) expetit solum utile sibi per accidens: at amici utile, in quo desiderium permanet, per se desideratur. Et hæc pro vocularum expositione sufficiant.

Jam plurimorum est opinio, quod non debeat imperans utile suum expetere nisi per accidens, & quod peccet, aliter illud si cupierit. Procurat itaq; secundum hanc opinionem utile suum Princeps & imperans, quatenus studens felicitati civitatis, etiam suæ studet, cum pars sit civitatis: veluti nauclerus dum procurat incolumitatem navis & navigationem prosperam, etiam suam salutem procurat, cum navigantium unus sit. Hæc opinio est Petri Victorii aliorumq; interpretum Aristotelis, qui illam ex verbis Aristotelis eruunt. Pono illa hic loci sec. vulgarem versionem, quæ tamen ex Græco clariora facturus sum in præcipuis partibus. Verba Aristotelis hæc sunt: *Atqui & modos imperii dividere facile est: in exotericis namq; sermonibus sæpe de ipsis differuimus. Herile enim Imperium,* (in græco textu vox est δεσποσία, quæ significat dominium herile in mancipia) *si verè naturâ servo, & natura Domino eadem est utilitas, tamen nihilominus regit ad id, quod hero conducit; curat autem servi utile contingenter,* (in græco vox est κατὰ συμβεβηκός, quæ significat ex accidenti & per accidens) *Neq; enim fieri potest, ut intereunte servo, conservetur imperium illud. Liberos autem imperium, Suxoris Stotius domus quod appellamus domesticum, sive eorum qui parent gratia constat, sive cuiusdam communis ambobus. Per se quidem eorum qui parent: quemadmodum videmus & alias artes se habere, ceu medicorum artem, & quæ adolescentes exercet: Contingenter* (hic iterum græcum habet κατὰ συμβεβηκός) *autem ipsorum quoq; essent. Nihil enim vetat, quin exercendi magister sit unus & ipse aliquando eorum, qui exercentur: veluti gubernator unus semper est nautarum. Magister igitur exercitiorum vel gubernator ante oculos habet bonum eorum, qui ipsi parent. Quando autem unus & ipse horum fuerit, ex accidenti particeps sit salutis, quæ inde nascitur, hic enim nauta sit, hic vero unus eorum, qui exercentur, cum tamen magister ejus studii sit. Quare & civilia imperia, quando resp. per equalitatem & similitudinem civium constituta fuerit, vicissim postulant regere. Prius quidem, ut natura ferebat, postulantes pro parte quempiam munus id obire & visere suum bonum, quemadmodum prius ipse cum magistratum gereret,*



animo providebat utilitatem ejus. Nunc autem propter utilitatem, quae publicis ex rebus, & eas quae capiuntur à magistratu, volunt continenter magistratum gerere. Veluti, si contingeret perpetuo imperium habentibus valere, cum infirmo corpore forent: etenim si forte assēctarentur magistratus. Perspicuum igitur, omnes Resp. quae commune bonum propositum habent, has quidem rectas esse secundum simpliciter justum: quaecumque vero suum tantum propriumque, cuncta vitiosa sunt, & migrationes exitusque, & rectis rebus publ. se gerunt enim, ut Domini in servos: civitas autem est communio hominum liberorum. lib. 3. pol. c. 4.

Retuli fuisse verba Aristotelis, nam primum argumentum adversariorum in illis positum est, & mea ejusdem argumenti solutio super eadem fundata erit. Petrus Victorius ex mente Aristotelis sustinet, quod per accidens solum bonus Reip. rector in publico regimine expetere possit proprium suum commodum, exponens hoc pacto mentem Aristotelis de imperio patrisfamilias, quod simulachrum est boni regiminis politici: ut illud domini in servos simulachrum est pravi regiminis politici. Exponens itaque Victorius verba Aristotelis, quae finem detegunt patrisfamilias in regimine domestico, & haec sunt: aut est gratia eorum, quae gubernantur, aut gratia alicujus quod sit utrisque commune: ita illa interpretatur: magis autem aperiens quod dixerat; & quo modo paterfamilias provide- ret bono eorum, quos regit, simulque suo declarans, inquit: propter se imprimisque ipsum videre toto animo bonum eorum, qui in potestate sunt illius imperii: ex accidenti autem suum quoque: hoc enim intelligere debemus, ut ratio ipsa perfecta sit. Quod sane hic non addit auctor ipse: sed cognosci voluit exemplis aliarum artium, quae ponit: applicat deinde eandem doctrinam civili imperio, eundemque finem. Verum est, quod initio appareat, ac si ad popularem Rempublicam tantum restringat, verba ita sonant: declarat exemplo quarundam artium, domesticum imperium ante oculos habere in primis bonum eorum, qui parent ipsi. Idem igitur docet, servari in magistratibus, si non in omni genere Reip. in iis saltem, in quibus par, similisque invenitur dignitas omnium civium, nihilominus cap. proximo, quod quintum est tertii libri Politic. ubi Aristoteles ponit pro differentia essentiali inter bonas & pravas Resp. quod bonae respiciunt commodum omnium, pravae illius qui imperat, Victorius Aristotelem sequens ipse quoque ita scribit: quando unus ille, aut pauci, aut multi



multi spectaverint commune bonum in regenda civitate, omnesq; suos nervos in eo contenderint, necesse est has Resp. rectas esse. Contra autem, qui referunt consilia sua omnia ad utilitatem sive unius illius qui regit; sive paucorum, sive multorum, si pauci multive illi sint, labes vitiaq; erunt restarum illarum. Itaq; Rebus publicis, tam quæ ab uno reguntur, quam a pluribus, attribuit, quod bonæ ut sint, teneantur habere pro fine utilitatem omnium à se expositam, hoc est cum primis & per se subditorum, per accidens imperantis. Hæc est igitur ejus sententia, quod imperans non possit nisi per accidens commodum suum procurare. Estq; prima ejusdem ratio auctoritas Aristotelis comprehensa verbis transcriptis, & à Petro Victorio eo, quo diximus modo, expositis. Secunda ratio est, si imperans quæreret utile proprium per se, & postea unà utile subditorum, idem ageret, quod dominus eum mancipiis, qui in imperio suo in illa finem sibi propriam utilitatem statuit: at utile mancipiorum eousq; quærit, quatenus ita aptiores fiunt ad sibi bene serviendum. Sed imperium domini in mancipia tyrannicum refert imperium, haud quaquam bonum, ut diximus. Quod si quispiam responderet, tyrannum curare utile & commodum suum per se, illud vero subditorum per accidens: at bonum Principem tam suum, quam subditorum per se quærare: responderetur, quod expectere utile per se, finem denotet: at actionis cujusdam tempore eodem, & in agente eodem, non nisi finis unus esse potest: aliàs enim ipsa actio foret essentialiter in duabus speciebus moralibus, cum ex fine actio speciem sortiatur. Jam vero nulla res in pluribus speciebus locum habet, nisi ex accidenti, veluti homo per se & sec. essentiam solummodo in prædicamento substantiæ est, at ex accidenti, quatenus albus est, in prædicamento qualitatis, & relationis quatenus pater est, & sic de cæteris. Tertia ratio est, quod secundum Aristotelem s. Ethic. cap. 6. Princeps sollicitus est pro aliis, ideoq; etiam ait, Justitiam bonum alterius esse, non proprium: & idcirco alteri laborat, & ideoq; justitiam alienum bonum esse inquirunt.

Quartum argumentum Platonis est lib. 1. de rep. estq; hoc: quod ars nulla suam quærat utile, sed illorum, quorū gratia ars est: quam propositionem per inductionem confirmat ex arte medica, quæ quatenus talis, contendit ad salutem ægrotantium; non ad augendas divitias: & naucleri, qui finem artis suæ ponit in eo, ut navem salvam subducat, & simul navigantes.

Unde colligitur, esse veram propositionem illam, quæ re ipsa eadem est cum



priori, quod omnis ars quærat utilitatem illorum, quorum gratia ars est, non suam. At quælibet ars illis imperat, quorum gratia artes sunt, velut medicus ægrotis, & nauclerus navigantibus, cum primis singulis iis, quæ ad navigationis securitatem & felicitatem pertinent. Cui argumento hanc subjungit dissertationem (id. Plato scil.) quod nullus verè bonus libenter magistratum imperiumq; in se suscepturus sit, nisi pæna imminente cogatur, quæ pæna est, quod ipsi opus sit regi à malis. Estq; hujus rei ratio hæc, quod magistratus ipsi oneri est, non quærenti ullam ex eo utilitatem, quoniam non est avarus, nec honorem, quod careat ambitione. Unde concludit his celebratis verbis; *quippe si bonorum virorum extaret civitas, in ea, ut arbitror, haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certatur imperandi cupiditate: ibiq; pateret, revera legitimum Principem non suæ ipsius, sed ejus qui sub ipso est, commoditatem respicere.*

*Ponitur probaturq; vera opinio, quod Princeps bonus expetere possit. & querere utile suum proprium per se.*

#### C A P. XIV.

**E**terum vera opinio est, quod expetere possit Princeps proprium commodum per se, non tantum per accidens. Quod ut rectè intelligamus, repetenda erit distinctio Aristotelis ex I. Ethic. lib. cap. 7. paulo ante allata, de rebus expetitis & expetendis, & quod aliæ expetantur sui ipsius solum gratia, ut est felicitas, quæ nunquam propter aliud expetitur: aliæ vero propter alias tantummodo desiderantur, ut instrumentalia bona, & instrumenta: aliæ sui & alterius gratia, ut virtutes: quæ gratia alius expetuntur, quatenus felicitatis ergo cupiuntur; sui vero etiam gratia expetuntur, propterea quod licet nunquam futurus esset felix homo, nihilominus cupiat virtuosus esse. Jam assero, quod Princeps in imperio suo expetat utile suum, hoc est, cupit esse virtuosus, prudens, fortis & temperans, aliisq; virtutibus ornatus, non per accidens tantum, sed per se quoq;. Idq; confirmo: enimvero non solum hoc expetit populi gratia, ut illos idè rectius regere possit, sed & sui ipsius illud vult causa, ita  
quidem



quidem ut etiam si inde non consequeretur felicitas omnium civium, sive id fiat propter externos casus (uti contigit Ferdinando juniore, qui à Gallis statu pulsus, nequibat in usum transferre ideam boni regiminis, quàm mente conceperat) sive ob morositatem populi nequissimi & pertinacis; (quæ Moyfi fuit impedimento, quo minus populum Hebræum ad illam perduceret felicitatem, quam menteolvebat:) nihilominus illud expeteret, cupiens regis virtutibus esse ornatus, hoc est summis & perfectissimis.

Alterum argumentum ex natura amicitiae pendet, cujus ergo illud repetendum est, quod relatio Principis ad subditum amicitiae est genus in excellentia positum, ut in Ethicis tradit Aristoteles: *aliud autem, inquit, amicitia genus est, in quo excellunt & excelluntur: veluti quæ patri intercedit cum filio, Seni cum Juvene, Viro cum Uxore, omni denique, qui præest sum eo, qui imperio parere debet. Eth. l. 8. c. 8. & seqq.* quoniam alia amicitia honesta est, alia propter rem, quæ utilis est & jucunda: amicitia boni principis in excellentia posita, honesta erit. Ex natura igitur amicitiae honestae argumentum fiet meo proposito conveniens, & est, quod amicus honestam colens amicitiam amico suo omne commodum velit, sine commodo suo. *Aristoteles 8. Ethic. cap. 3.* Attamen ut ex bonis externis partem potiorem amico concedit, ita ex honesto partem sibi servat majorem: ut idem Philosophus docet *Ethic. lib. 9. cap. 8.* Sit itaque argumentum:

Amicus honestam, & perfectam amicitiam colens, cupit utile honestum ex virtutibus, quod felicitatis nervus est, etiam si non propter amicum; hoc est, non solum cupit, & sibi placet virtuosus esse & prudens, quod ita valeat amicum juvare, sed sui ipsius gratia hoc cupit. *Aristoteles. l. 9. Ethic. c. 8.*

Bonus Princeps & ut talis, amicus est sec. amicitiam honestam & perfectam subditis, *Aristoteles. lib. 8. Eth. cap. 7.*

E. Princeps bonus ut talis non solum utile suum cupit subditorum gratia, sed sui ipsius quoque.

Tertium argumentum est: si imperans utile suum quærere nequit nisi ex accidenti, hoc est, quatenus utilitati omnium studet, pro se quoque; illam tanquam pro uno ex numero illorum curat, sequeretur, quod non posset unquam Princeps pro se in gradu excelsiore bonum curare, quàm illud est, quod subditis comparare adnititur. Sed falsum est hoc: igitur falsum quoque est, quod non pro se curet bonum nisi per accidens. Consequentia probatur inductione petita à nauclero & similibus. Nauclerus dum navigante



vigantes salvos in portum collocat, etiam se ipsum salvum è navi exponit, cum ex navigantibus sit: qui salutis idem gradus est, non major quam reliquorum iter facientium. Assumptio probatur: enimvero Princeps ipsum se in fastigio virtutum excelsiori collocare debet, quàm subditos, cum teneatur Rex usq; ad eò excellere privatos, ut quasi divini quidpiam habeat, cum dicat Aristoteles, *putandum enim talem Virum tanquam Deum inter homines esse.* Itaq; Regi opus est gradu virtutis heroicæ, ad quam non instituuntur subditi. Quod & ad facultates, & bona instrumentalia pertinet, pluribus indiget quam subditi, quod ipsi incumbat splendore ac dignitate vitæ plurimum supergredi cæteros: quare si ad alias res excellentes forma venusta, & majestas corporis accederet, optimū foret, minimū propter vulgus. In quam rem Tacitus; *ipsa ætas Galba & irrifui & fastidio erat, assuetis juventæ Neronis, & Imperatores forma ac decore corporis (ut est mos vulgi) comparantibus.* Vidi nonnullos comparantes Papam Paulum V. cum Gregorio XV. multos fuisse in illius adspætu majestatis pleno, & in hujus forma vili exaggeranda. Concludo itaq;, quod Princeps quærat utile suum non solum propter populi commodum, quo modo suum expetit ex accidenti; sed illud cupit & quærit per se ob argumenta allata. Superest ut rationes contrarias dissolvamus.

*Dissolvitur primum argumentum nostræ  
sententiæ adversum, ab auctoritate Aristotelis desumptum, & exponitur verus Aristotelis sensus cap.  
4. lib. 3. politic. de divisione  
Imperiorum.*

C A P. XV.

**A**D primum igitur argumentum, quod ab auctoritate Aristotelis & expositione interpretum petitur, respondeo, quod quantum ad Aristotelis auctoritatem, illa mihi non obstat, sed saveat potius, si recte verba exponantur, nec perversè, ut plurimi interpreta-



ti sunt. Enimvero Aristoteles ibi non ad duo solum membra imperiorum genera reducit, ut cum Victorio credunt multi, sed tria eorum recenset, & quartum relinquit nobis ex verbis suis colligendum. Tria igitur quæ recenset hæc sunt: primum ejus est, qui suæ utilitatis gratia imperat, nec respicit utile illius cui imperat, nisi ex accidenti: alterum eorum, qui imperant gratia commodi & utilitatis subditorum, neq; suæ nisi ex accidenti: tertium eorum, qui imperant communis utilitatis & commodi gratia, hoc est, & suæ & illorum quibus imperat. Hæc tria genera exprimit Aristoteles ipsissimis suis verbis, quæ paulo superius retuli. Primum genus ab illo expressum est hisce verbis: *Dominatio enim licet revera utilis existat natura servo, & natura Domino, nihilominus imperat pro Domini utilitate, pro utilitate autem servi contingenter.* Quod genus primum est. Secundi & tertii meminit in hac alternativa de Oeconomia: *aut gratia est eorum qui gubernantur; quod alterum est genus: aut gratia alicujus quod sit utrisq; commune*, quod tertium est, quodq; Victorius, aliiq; idem cum secundo esse deducunt, reputantq; illius esse expositionem. Non aliter quam si commune bonum ab Aristotele declaratum sit, in hoc proposito, quod propter subditos quæritur per se, & gratia Imperantis per accidens. At interpretatio falsa est: nam si hoc finem propositum esse a bonè imperanti, ex una per se, ex altera parte per accidens, constitueret bonum commune, etiam herus mancipiis imperaret propter commune bonum, quoniam ille quærit quod uni conducit per se, alteri per accidens: idemq; faceret, ut postea videbimus, Tyrannus. Aristoteles igitur tanquam diversa ponit membra, quærare commune bonum, & bonum subditorum, idq; ostendit particula adversativa repetita, quæ improprie in explicativam, *id est*, resolvitur, præterquam quod res ipsa illud satis detegit. Loquitur illic loci Aristoteles de Patrefamilias ratione conjugis & liberorum, quorum habita ratione si expositio Victorii admitteretur, Patrefamilias non quæreret commodum virtutum oeconomicarum nisi in gratiam liberorum & conjugis, sibi vero ex accidenti solum, & ita commoditates vitæ, quod quam à vero sit alienum, ex Patrum optimorum consideratione sciri potest. Licet Patrefamilias secundum Aristotelem curam rerum suarum procuratori committere, ubi nolit conflictari hisce curis, ut possit dare operam reip. vel Philosophiæ: at certum est, si Patri denegatum esset utile suum etiam per se quærare, quod ipse neutiquam



per procuratorem, rebus suis vacare deberet. Is enim campus uberiores fert fructus, ubi vestigia Domini impressa sunt, quam alter ubi solæ Oeconomi. Pariter Pater etiam optimus expectat ætate confectus à filiis hanc remunerationem, sc. custodiam, & administrationem domus: in quam rem Aristoteles, *procreare senectutis pastores, Patris, matrisq; custodes, & totius domus servatores.* Et Poeta ille:

*Natis munire senectam.*

Maritus quoq; non solum adjuvat conjugem, sed ab illa expectat exigiq; mutuam auxilium. Ille in iis quæ foris sunt occupatus est, domestica conjugii committit, plurimasq; commoditates ab illa, quod ad suam personam, & expectat, & cupit. Imò Aristoteles in hisce duobus, marito nempe & uxore, particulatim declarat commune hoc bonum, & finem hunc, quem suis verbis hic exprimit, quæ nunc expendantur *cui, aut gratia alicujus, quod sit utrisq; commune:* namq; Oeconomicè dico, declarat hæc verba in iis, quæ paulo ante adduximus: *procreare senectutis pastores, Patris Matrisq; custodes, & totius domus servatores.* Finis itaq; mariti sunt liberi, non ut conjugis sint proprii, sed utriq; communes, & eonimine etiam beneficium expetunt, quod ab illis expectatur ambobus senio confectis. Et tandem quis asseret, quod Oeconomix finis magis sit commodum conjugis, quam utile & splendor mariti? Et quod Pater in hunc modum utile liberorum quærat, ut nisi illorum commodi foret, ipse per se nollet neq; vitæ commoditates, neq; instrumenta operandi sec. virtutes tam publice quam privatim? Sed objiciet mihi quispiam, sequi hoc pacto, amicitiam inter Patrem & liberos propter rem & utile esse, pariterq; mariti cum uxore, ideoq; non differre ab his consortium Domini cum mancipiis. Ad quod respondeo, consequentiam negans; observandumq; est amicitiam honestam in hoc dissidere ab iis, quæ propter rem sunt, scil. utili & jucunda, quod in hisce eousq; amicus alteri amico cupit bene, quatenus sperat ejus boni partem ad se redundaturam, aut se exinde habiturum commodum aut oblectamentum. Mercatores in suis societatibus desiderant, ut societas tota indies multum divitiis crescat, id enim in omnium verget commodum. Et in amicitia dissimili, amator largitur amicitix argenti plurimum, ut voluptatem inde referat, aliàs nihil omnino daret. At honesta amicitia cupit amico bene, idq; illi eo modo procurat, ut licet inde nihil commodi speraret, nihilominus id illi effectum daret. Et ita Pater cum filio

agit:



agit: tali enim pacto utilitati filii operam navat, ut etiam si gratiam inde speraret nullam, juvaret illum nihilominus. Ita quoque æquum est, ut maritus cum conjuge agat. Non tamen inde sequitur, quod amicus honestus non etiam suum quærat commodum, ut præterito capite diximus, quodque etiam ubi opus habet, non utatur quoque amico, rebusque illius tanquam propriis. Satis est, si non ad utilitatem suam tanquam finem retorqueat illud, quod in commodum facit amici: & in eo sita est differentia inter honestam amicitiam, binasque utiles. Sed revertamur in viam. Tria generum imperiorum habita ratione finis jam explanata sunt: verum enim vero operari in commodum subditorum duplici fit modo: alter est si imperans tali pacto præfigat sibi pro fine subditorum commodum, ut neque per se neque per accidens inde utilitatem capiat: alter est, si intentus utili subditorum per se, suum cupit per accidens, quod in secundo membro collocavimus. At prius, quod modo addidimus, indicatum potius est, quam explicatum ab Aristotele. Innuit hæc verbis: *nihil quippe vetat magistrum ipsum Gymnasia esse unum eorum, qui exercentur, quemadmodum gubernator semper unus est eorum, qui sunt in navi.* Quibus verbis innuit Aristoteles, quod is, qui imperat aliis, cum utilitate parentum propriam habeat copulatam: (& talis nauta est, qui necessario cum iter facientibus in eadem est navi:) ab aliis Imperantibus vero plane disjunctam posse esse utilitatem parentum. Et in hanc rem exemplum affert lanista, (ad quem tanquam notiore jam refero magistrum Gymnasia, quem Aristoteles adduxit in exemplum, & Græco nomine pædotriba appellavit.) Is igitur lanista eo jam habitu potest esse instructus, ut nihil amplius acquirat artis sibi exercendo discipulos in armis: potest quoque usu venire, ut nondum ea sit peritia, ut dum alios erudit, ipse etiam porro erudiat. Primo modo nihil ille capit utilitatis ex sua institutione, quantum modo ad artem suam spectat, (nam de illa jam sermo est:) at altero modo, per accidens perficit se ipsum, instituendo alios. Quatuor igitur vere genera sunt imperiorum inter se distincta, aut expressa, aut indicata ab Aristotele, & ex horum unum est, imperium communis utilitatis gratia, tam illius qui gubernam quam qui subjectus est imperio, à tribus reliquis diversum, quodque etiam in eo utriusque & imperantis & parentis commodum per se spectetur, ob rationem quas diximus. Jam Aristoteles ad civile applicans imperium divisionem proximè hæc verbis: *quæ propter civilia quoque imperia &c.* concludit sub finem,



quod ipsi conveniat tertium, quod est imperare ad finem boni communis tam imperantis, quam subditorum imperio, & quod hæc sint bonæ Resp. veluti in pravis imperiis tendit ad propriam imperantium utilitatem. Hæc sunt verba Aristotelis: *constat igitur, quod quæcumq; Resp. ad communem utilitatem tendunt, hæc certæ rectæ sunt sec. simpliciter justum: quæcumq; vero ad propriam eorum, qui præsumunt utilitatem solum, aberrant quidem, suntq; omnes rectorum rerum publicarum transgressiones & labe.* Ut itaq; finiam, falsum est velle Aristotelem imperantem solum intueri commodum suum per accidens, spectat sanè utile omnium, & simul utile suum per se, non per accidens tantum, ut expositum est.

*Dissolvuntur reliqua tria argumen-  
ta contraria.*

CAP. XVI.

**A**lterum argumentum facillè diluitur ex iis quæ dicta sunt. Tyrannus quærit utile subditorum per accidens, & proprium per se: at bonus Princeps, bonarumq; rerum publicarum rectores commodum subditorum quærent per se, imò præcipuè per se, ut postea dicam. Est itaq; differentia illorum in eo, quod unus utile subditorum cupiat per accidens, alii per se, nequiquam vero in eo, quod quis propriam quærat per se utilitatem: licet etiam in hoc differant quo fiat modo: enimvero Tyrannus illud ut finem ultimum quærit: at bonus Princeps Rectoresq; ut finem non ultimum. Quod modo exponam objectioni respondens. Erat itaq; objectio, quod una eademq; actio non possit fines binos propositos habere, sed unum tantummodo: ad quam respondeo, quod quidem una eademq; actio fines binos æque ultimos, & in eodem agente eodemq; tempore haud possit habere propositos, attamen fines binos, quorum alter ad alterum refertur, estq; commune quidam omnibus actionibus. Enimvero præter supremam Architectonicen omnibus aliis actionibus scopi sunt aliis inservientes. Porrò necessum est, ut scopi illi propter alios à se mutuo distinguantur, estq; hoc inter illos discrimen, quod quidam eorum planè propter alios sint, alii quadamtenus tantum, Planè



nè propter alios illi sunt, qui præterquam quod propter aliquid sunt, nihili sunt. Sive ut clarius dicamus, quibus utilitatis nihil inest, nisi quatenus inserviunt ad obtinendum finem superiorem. Et hos aliis inservientes fines vocat Aristoteles tantum aliorum causa expetibiles, quod idem est, ac expetibiles esse solum per accidens: esse enim propter aliud, est esse tale per accidens. Fines quadamtenus gratia alterius isti sunt, qui inserviunt ad obtinendum alium finem: nihilominus etiam extra illum usum in se boni quid continent, & quapropter expetendi sunt: & hos appellat Aristoteles propter se, & propter aliud expetibiles. Ejusq; generis ait virtutes esse, quæ ad felicitatem acquirendam faciunt, ideòq; illius administræ sunt, & quæ ex se bonæ sunt & expetibiles, præterquam quod conferant ad felicitatem consequendam. Ejus generis utile proprium Principis est, ratione communis felicitatis, ad quam contendit: nihilominus etiam si illa non obtineretur, esset tamen virtus & utile Principis bona eidem & expetenda.

Tertio argumento respondeo, quod non concludat pro veritate sententiæ adversæ, imò in illam retorqueatur. Non concludit, quoniam Aristoteli ibid. sermo est de principe, ut custode justitiæ particularis, exinde itaq; non recte infertur ad Principem generatim ac universè, qui præterquam quod justitiæ particularis custos est, etiam alias exercet virtutes, quæ non sunt, ut justitia est, ex se propter alia. Adde quod diversa res sit, propter alia agere, & finem actionis commodum esse aliorum: nam vir bonus optimusq; in bello, pro tuenda sua urbe suscepto pugnat, & illius ergo belli laborem subit: nihilominus finis fortitudinis honestas est ejusdem actionis strenuæ, in qua situm est viri fortis utile, & pars ipsius felicitatis. Ita de viro forti dicit Aristoteles: *bonestatis causa sustinebit ac feret, quippe cum hic finis virtutis sit*: sed hac de re, deq; discrimine inter virtutes quæ sunt, quæq; non sunt propter alia, accuratius disserui in mea Philosophia morali, in parte Hygiænes. Illuc remitto Lectorem, qui ejus plus scire cupit, quam in præfenti attigimus. Retorquetur in adversarios deinde argumentum: enim vero Aristoteles in eodem loco eodemq; argumento fatetur, pro se Principem capere quod illi conveniat, ubi inquit: *non enim amplius ex simpliciter bono sibi tribui, nisi id ipsi proportionem conveniat, idcirco alteri laborat*. Vult quoq; præterea, ut illi pro mercede donum & honor tribuatur, quod est utile ipsi proprium, competensq;, neq; quidpiam quod ad illum redundet, tanquam lucrum ex iis commodis, quæ subdi-



tis procurat, verba ejus sunt: *merces igitur quadam danda est: ea autem est honor & donum, quibus vero hæc satis non sunt, ii Tyranni efficiuntur.* Ita ut, ubi de Principe bono differit Aristoteles, sentiat quod justè liceat illi singulare donum capere & honorem. Quæ res, quod ad Ducem, apud Venetos accuratissime observatur: enimvero Dux eorum aureos 3500. annuatim habet, quod illorum donum est, & in honorem nomen Principis gerit, & præ cunctis tenet primum locum, tum regiam domum inhabitat, & mandata omnia suo nomine dantur, idemq; monetis imprimitur.

Ad quartum argumentum, quod Platonis est, respondetur, quod ars bifariam consideretur, aut in sua pura natura, sive ut plane ars est, aut ut informata est morali & civili directione. Primo modo verum est, quod Plato dicit, propter artem non se ipsum spectat artifex; at modo secundo aliæ artes ad commodum illorum tendunt qui reguntur, aliæ ad ipsorum utile, qui artes illas exercent: v. g. ars pecuaria ad utile pastorum tendit, & Domini velut ad finem, nec in commodum pecorum: enimvero alias, si pecora pascerentur suæ utilitatis ergo, ut finis propter quem, inter hominem & gregem vera intercederet amicitia, quod dictu ridiculum esset. At ars instituendi liberos in disciplinis, & moribus, agnoscit pro fine utile ipsorum, qui erudiuntur, cum vera versetur amicitia inter Patrem & liberos, Præceptorem & Discipulum: at inter equorum domitorem & equum nulla intercedit amicitia, quare iste non spectat utile equi ipsius. Ita ut, respondendo Platoni, transitus, quem facit, ex arte tantum in se spectata ad illam civilem, admitti non debeat. Admitteretur sane, si sumisset artem ut informata est directione morali & civili: at hoc modo falsa foret propositio, quam sustinet, quod ars pro fine habeat utile eorum, quorum ars est, veluti in pecuaria ostendimus. Ex quibus quasi corollarium etiam colligitur, quod cum Rex vocatur pastor, ars pecuaria consideratur, ut simpliciter ars est. Quod porro ad illud, quod Plato subnectit, quod Vir optimus declinaturus esset magistratum, nec nisi pœna commovendus ad eum in se suscipiendum, quàm putat esse hanc, ne à peioribus regi teneatur, cum nec ambitiosus sit, nec avarus: confiteor ego quoq;, quod Vir bonus non impere sui commodi gratia, præcipuèq; honorum & lucri ergò, sed propter communem civium felicitatem: at ideò non excluditur, quod non etiam proprium cupiat commodum, ita tamen ut communi felicitati inserviat, ut expositum est. Et restricta responsione infert argumentum: Virum bonum non imperare sui commodi gratia, ut is illi finis ultimus sit, sed ultimò inserviens,

Epilogus



*Epilogus eorum, quæ dicta sunt, de legum fine  
& optima Republica, eorundemq; explanatio  
absolvitur.*

## CAP. XVII.

**A**M itaq; vidimus, quod verus finis legum, qui idem est qui optimæ Reipublicæ, commune bonum sit, hoc est, felicitas civium: quod bonus Princeps, boniq; Rerumpublicarum Rectores, non sibi pro scopo utile proprium præfigere debeant, licet illud quærere possunt non per accidens solum, sed per se quoq;. Ostensum etiam est, legum finem alium esse naturalem, alium supernaturalem, tum quoq; quomodo ille hunc pro norma & regula habeat. Jam pro supplemento factæ expositionis sciendum est, quod optima Respublica & lex contendunt ad felicitatem civium, non tantum quod virtutes jubent actionesq; bonas, prohibentq; pravas: sed speciatim quod educationem curent, & institutionem civium, quod dixit Aristoteles lib. v. Ethic. cap. 2. *causæ efficientes virtutis universæ sunt ea omnia jura legitima, quæ legibus de disciplina ad Rempublicam utili* (in græco vox *παιδείας* est) *comprehensa, descripta & constituta sunt,* ita ut incipiant à prima pueritia, pergantq; ad juventam usq;, fiatq; sedulo, ut continua temporum serie in hujusmodi corporis, & animi exercitationibus & puer & adolescens teneatur, quæ illum reddere possunt quibuscunq; exornatum virtutibus: quæ exercitationes per consequens, cum versentur in actionibus nobiles & virtuosas, longè sejunctæ sunt à sorditie plebeia & vilitate lucelli, quibus se penitus dant, devotentq; opifices & mercatores. Qua de causa censebat Aristoteles, non cives esse in optima Republica opifices artificesq;: quod non sint veræ virtutis capaces, neq; etiam veræ disciplinæ. Quod si quis tamen ejusmodi infimæ fortis homines, inquit ille, cives nominare vellet, dicendum foret non omnescives veræ virtutis capaces esse, sed illos tantum, qui non tractant artes necessarias. Verba ipsa sunt: *optima autem civitas non faciet humilem artificem civem. Si autem & hic civis, profecto civis virtutem, quam tradidimus, dicendum non omnis neq; liberi solum, sed cunctorum qui solvi ab operibus necessariis.* Et magis definitè subjungit



subjungit paulo post: *quapropter in quadam Republica humilem artificem necesse est, & operarium cives esse, in quibusdam vero impossibile. Ceu, si qua est, quam vocant Aristocraticam, & in qua ex virtute dantur honores, & dignitate personarum. Non enim usu venire potest, ut qua virtutis sunt colat, qui vitam traducit in vilibus ministeriis, sordidusq; artifex est, atq; operarius.* Et ut verum fatear, quomodo institutoribus & opificibus, qui tota die propter victum occupati sunt in operibus suis, otium suppetet vacandi exercitationibus perpetuis ob virtutes, quæ theoreticas, quæ practicas? Hinc lucem fœneratur quod diximus, felicitatem civium finem esse legum, & optimæ Reipublicæ. Quod sanè intelligendum est de civibus verè talibus, hoc est, solutis operibus vilibus & necessariis, & qui vivunt ex suis redditibus, qui educari possunt secundum institutionem ab optimâ lege præfinitam, & cura publica procuratam, & comprobata, ita ut certi magistratus ejus rei curam gerentes constituantur: de quâ Plato & Aristoteles fusè disseruerunt, & ego in Therapeutica morali. Sed hic fortè quæret quispiam, quam igitur curam gerere debeat lex & Respublica optimæ opificum suorum, & fœcis populi? nonne incumbit æq; ipsis eorum utilitati studere? Certè ita sentio, attamen illi utilitati, quæ iis proportionem respondet, tam ex bonis animi, quàm instrumentalibus & foruitis, ut communiter vocantur. Ille tamen felicitatis gradus non illam attingit felicitatem, quam civibus ex lege attribuimus, sed est ejusmodi quædam particulatâs exigua: de terrena sermo nobis est, nam ad cœlestem via patet omnibus, & satis frequenter experimur verum esse dictum illud Sacrum, *revelasti ea parvulis, & abscondisti sapientibus.*

*Quomodo, & in quam Rep. iustum sit proponere sibi scopum, cives reddere bellicosos, & occupare alios Principatus.*

C A P. XVIII.

**D**iximus quod verus finis legum idem sit, qui optimæ est Reipubl. quare igitur non omnis Respublica optima est, nonne poterit quælibet ad tam sublimem finem aspirare? Hic se res habet ut cum  
hominibus



hominibus singulis, quorum omnium finis naturâ felicitas est, quæ in actionibus secundum virtutes, & speciatim optimas consistit. Estq; ex sententia Aristotelis excellens magis felicitas contemplativa, quæ sapientiæ opus est, secundum eundem: nihilominus non omnibus hominibus licet ad eum scopum contendere. Etenim opifices occupationibus victus quærendi impediti sunt: aliis ingenium deest capax: alii addicti sunt continuis operibus, quæ in vita rebus agendis dedita occurrunt; quorum quilibet, quoniam verum finem & eminentem consequi non potest, ad finem viliores, summoq; maxime vicinum contendere cogitur, qui ab ipso obtineri potest: enimvero, secundum illud proverbium, *Aulædus fit, qui Citharædus esse non potest.* Et Aristoteles in Topicis tradit, quod non semper illud, quod est melius, sit eligendum: ut enim subnectit, *philosophari melius est, quam lucrari; sed non magis eligendum egentibus necessariis.* Quare ponendum modo erit, quod paulo post distinctè ostendam, quod inter bonas Respubl. una sit, quæ non pervenit eo, ut optima sit: estq; popularis bona, qualis Romana certo fuit tempore. Ejusmodi Reipublicæ bonæ, & non optimæ finis non eò pertingit, ob ea quæ diximus, ut felicitas civilis perfecta sit. Etenim, cum imperium in manu universi populi est, in quorum numero sunt opifices & pauperes lucro dediti, isti perfectæ disciplinæ capaces non sunt, nec educationis, qua opus est, ut perfectè virtuosæ cives efficiantur. Quare neque in tali Respubl. ejusmodi quædam disciplina publica introducitur: nam cives nequeunt propter curas publicas habitus acquirere virtutum exactarum, quarum beneficio ipsi perfectè boni & felices evadant. Hinc consequens est, quod prudens Legislator leges daturus ejusmodi formæ reip. studere debeat, ut homines non ad absolutissimam & solidissimam perfectionem dirigat: sed ad illas potius virtutes, quarum populus communiter capax esse potest. Sunt autem virtutes hæ duæ. Prima est justitia, & illa eatenus, ne se invicem lædant cives, nec etiam delinquant versus externos. Id vero ad eum legis finem pertinet, qui secundo dicendi modo positus est: videlicet, ut pax sit, & concordia inter cives mutua. Altera virtus fortitudo est: illa etiam plebei institui possunt. Nam pauperes vitam militia sustentare possunt, & per eam quoq; aspirare ad lucra majora: ut omittam, quod artes quædam sint, v. g. Agricultura, similesq; exercitationes laboriosæ, quæ ad arma gerenda idoneos reddunt homines.



De Romanis militibus Horatius, lib. 3. carmin. Od. 6.

*Sed rusticorum mascula militum  
Proles, Sabellis docta ligonibus  
Versare glebas:*

Hanc nobis Aristoteles doctrinam reliquit, quæ admitti meretur, tam propter auctoritatem scriptoris ad eò gravis, quam ob veritatem, quæ in illa resplendet. Verba ipsa sunt: *Cum autem multitudo gubernat, ad commune bonum conversa, vocatur communi nomine omnium rerum respublica. Evenit autem hæc ratione. Unum enim antecellere, & paucos contingit. Plures autem jam arduum exquisitos esse in omni virtute. Sed maxime in bellica. Hæc enim in multitudine existit. Quare in hac rep. summam potestatem propugnatores habent, participesq; ipsius sunt, qui arma tenent. lib. 3. pol. c. 5.*

Quod respubl. popularis aptissimum fortitudinis subjectum sit, præter auctoritatem Aristotelis, experientia plurimarum rerum publ. popularium fidem facit, inter quas principem tenet Romana locum, de quâ Salustius; *Sed civitas incredibile est memoratu, accepta libertate, quantum brevi creverit.* Et de eadem verè prædicavit Claudianus, lib. 3. de laud. Stilicon.

*Hæc est, exiguis quæ finibus orta tetendit  
In geminos axes, parvaq; a sede profecta  
Dispersit cum sole manus.*

Ita quoque Atheniensium respubl. cum populari uteretur forma, res magnas armis gessit, idque præcipue armatis classibus, imperiumque late extendit. Post illa Pisana respubl. & Genovensium quoque mari res illustres peregerunt, & terra Florentinorum, subjecto olim sibi statu amplo. Et cunctæ quidem hæc respubl. suis civibus, non extero milite acquirere quod possident: verum respubl. paucorum Tyrannidesq; coactæ fuerunt uti milite externo: cum ipsis suspecta sit, & cum primis tyrannidi, virtus civium & subditorum. Quibus de causis inferitur, quod assuescere cives bellis, & ad fortitudinem ducere, uti non est verus & optimus legum finis, neque ideo etiam finis optimæ reipubl. conveniens: ita finis est populari conveniens reipubl., propterea quod summus felicitatis virtutumq; gradus est, ad quem cura publica & disciplina pervenire possit. In eoque sensu verus est tertius dicendi modus, supra allatus de legis fine. Neque cum Plato & Aristoteles improbant ejusmodi finem, illum improbant hoc modo



do sumptum: sed rejiciunt tanquam finem optimæ reipubl. finemque absolutè & suâ naturâ legis. Reprobant ergo tanquam tendentem ad istum finem, ut bellis assueti quasi ob felicitatem civilem aliis dominentur. Ita Aristoteles lib. 7. polit. c. 2. *Sunt etiam qui dominari aliis, & tyrannicum reipubl. modum putant solum esse beatum, & in quibusdam civitatibus hic est finis legis, ut finitimis dominentur.* Et Plato exponens opinionem Lacedæmoniorum & Cretensium inquit. *s. de L. Nam ita demum recte dispositam civitatem visus est dicere, si sic instituta sit, ut ceteros bello vincere possit. Ita ne?* Ad quod Cretensis & Spartanus responderunt affirmantes, quæ diæta erant. Ponebant isti itaque felicitatem civitatis in hoc, ut bello vincerent alios, & sic latius imperium extenderent. Quæ sententia ab istis prudentissimis Philosophis, & inter sapientes principibus, explosa fuit locis recensitis. Et sanè ejusd. falsitas apparet ex iis, quæ hætenus ostendimus: ut taceam, si iniquum est, aliorum privatas divitias, & privata bona invadere, quanto magis injustum futurum, urbes, provincias, & Imperia aliorum occupare? Non ineptè pirata ille Alexandrum alloquebatur. Pirata ego sum, nam navicula circumvehor, resque minutas deprædor: tu qui ingenti exercitu regna invadis aliorum, Rex es, & quicquid acquisiveris rectum justumque habetur. Quapropter non solum non sibi lex tanquam scopum proponere debet, invadere status aliorum, verum neq; etiam putare rem esse licitam, illos aggredi, seposita hac quoque opinione, quod sit finis legum: enimverò, quod injustum est, licitum esse nequit. Estque pro regula communi ponenda hæc: quod non occupandi sint aliorum status, multominus hoc a legislatore tanquam scopus proponendum.

Attamen regula hæc quandam admittit limitationem: ut moralium est mos, quæ cunctæ quandam patiuntur limitationem. Est verò hæc, si acquisitio non fieret justo bello. Quodnam bellum justum sit, non est loci hujus exponere. Sufficiat nobis impræsentiarum, quod satis justum sit, quando suscipitur sui defendendi gratia, aut propter bellum jam illatum, aut propter imminens periculum. Cujus periculi consideratio contemplatioque inclusa cernitur in monito, dato legislatori ab Aristotele, quo præcipit, rationem habendam esse conditionis populi & principum vicinorum. Verba ipsa sunt: *Pertinet ad eandem disciplinam, qua est de legib. ponendis, videre, si qui sunt finitimi Populi, qualia ad quales exer-*



*cenda sint, & quomodo cum singulis conversandum.* Principes Turcico imperio vicini hoc tempore necesse habent, aut illius regionem occupare, aut de die in diem expectare, usque dum absorbeantur, propter vastum illius animum, quo propositum habet constituendi se, si valeat efficere, monarcham universi. In pari versabantur periculo Græci, Macedonesque, ob magnitudinem Persici Imperii ante tempora Alexandri Magni. Et constat, quas injurias pertulerit Amyntas Macedonum Rex, a legatis Megabyzi Persæ, ob metum tam potentis Monarchæ, cujus quoque tributarium fecit: veluti Herodotus in suis narrat historiis, *lib. 5. c. 2.* Et Mardonius occupavit post illa Macedoniam, ut est apud eundem Herodotum, *lib. 6. c. 4.* Ob has causas Philippus bellum intulit Persis, quod fama & gloria immortalis postea Alexander Magnus filius ad finem perduxit, cum opus esset, aut illam potentiam frangere, aut sub illa dominatione certo subjectionis modo vivere. Quare si civitas quædam, constituta foret in vicinia tam potentis Principis, ut aut vincere illum foret opus, aut eidem servire, in eo casu æquum foret legibus & disciplina instituire cives subditosque, ut fortiter & certa spe victoriæ acie decernere possint. Et hæc limitatio quædam regulæ est, quam posuisse hic satis sit. Interea stet firma conclusio propositæ modo quæstionis: quod pro scopo ponere fortitudinem & virtutem bellicam civium, populari reip. & eidem similib. competat. Cui conclusioni altera hæc adjungitur; quod, aspirare ad acquisitionem Domini alterius, justum sit, quando vicinia principis potentis & avidi necessitatem imponit confinibus, aut subicere hunc sibi, aut ab eodem subjugari.

*Quomodo, & in quamam republ. æquum sit, subsistere in eo fine, ut pax & concordia mutua sit inter cives, qui alter dicendi modus erat.*

#### CAP. XIX.



Uis sit finis optimæ reipubl. quis itidem bonæ, non tamen optimæ, vidimus. Superest ut tradamus quisnam ex bonis finibus  
com-



communis quoque sit, cum non bonis rebus publ. Et vero deprehendemus esse illum, cujus superius mentionem fecimus sub secundo dicendi modo, eratq; pax & concordia mutua civium. Hac concordia opus est etiam in pravis rebus publicis: quippe in seditionibus populi, & mutuis contentionibus, principis auctoritas deficit: dum hi & illi vi privata aut ulciscuntur adversarios, aut victæ partis bona usurpant. In motibus civicis Principi aut una pars adversa est, si ad alteram se applicat, aut ambæ, si se utrique opponit: accidit quoque sæpenumero, ut capita seditionum partiumque rerum potiantur, seque dominos constituent, (quæcunq; illarum superior extiterit) legitimumque expellant principem, aut imperii formam immutent. Ita Sylla & Cæsar formam reip. mutarunt. Condæus & Gasparus Colinæus parum abfuerunt, quin regibus Franciæ legitimis sceptrum eripuissent.

Cum ferrentur factiones Ghibellinæ & Guelfæ in Italia præteritis temporibus, miræ eversiones principatum existerunt, horrendæque civitatum strages: iis vigentibus, quotidie viæ repagulis sepiebantur, & ad sonitum campanarum atrox pugna committebatur. Misericordiam illorum temporum Petrarcha describit:

Et hora in guerra  
Quasi spelunca di ladron son fatti,  
Tal, ch' a buon solamente uscio sichiude;  
Et tra gli Altari, & tra le statue ignude  
Ogn' impresa crudel parche si tratti.  
Deh' quanti diversi atti,  
Ne senza squille s'incomincia assalto;  
Che per Dio ringratiar fur poste in alto.

Ædesq; nunc perbella factæ sunt specus  
Velut latronum: sic bonis claudunt fores,  
Et inter aras, atq; imagines sacras,  
Infanda quæq; perpetrantur, & fera.  
Ocepta quam diversa! non pugnas cient,  
Nisi sonet campana, quæ Deum canat.

Cesariæ anno millesimo quingentesimo quinto factio Guelfa & Ghibellina ter se mutuo urbe expulerunt, direptis miserè domibus adversariorum, & horrendis editis cadibus. Has inter accidit, ut quendam Darium Tibertium ex præcipua oriundum familia, octogenarium, & multæ sapientiæ & magni ingenii virum, cujus erudita scripta extant, reperiunt, extractumque e domo quadam, ubi se occultarat, occiderint; tanta rabie, ut occisores, cum illum confoderent, dicerent, commendaret se S. Diabolo.

Quæ formâ reip. sive principatus poterat elucere rebus adeo ne-



quiter conturbatis? Opus itaque est, in quacunq; etiam sit republ. sive bona, sive prava, civium concordia: sitque minimum tanta, ne ad tumultus armatos, violentos motus, & seditiones mutuo veniant. Et cum ad altiorum beatitudinis gradum ascendere non datur, non iniquum erit propositum, in hoc subsistere. In quadam rep. qui rerum potitur, diffidet subditis, & ideo non patitur, ut armis assuefiant. Eo casu Legislator pro scopo legis sibi præfigat, illum virtutis & justitiæ gradum introducere in civibus, ne se mutuo lædant, & ita seditio nulla civileq; bellum inter ipsos exoriat: quippe ad perfectam virtutem illos deducere non potest, neque etiam ad fortitudinem. Et hic finis est, quem agnoverunt D. Thomas & Augustinus, tanquam rem, quæ exigitur, & est necessaria in omnibus imperiis: ob quem ea solum peccata prohibentur, quæ obesse communi quieti possunt, cetera permittuntur. De quo D. Augustinus libro de libro arbitrio inquit, *legem, quæ scribitur regendo populo, recte ista permittere, & divinam providentiam vindicare*: hoc est, lex concedit quædam, quæ divina punit justitia. Quod quoque re ipsa apparet, cum lex civilis a Justiniano condita permittit fraudem in contractibus, dummodo dimidium non excedat. Esse meretrices permittit, aliaque ejusdem generis peccata. Vetat solum ea, quæ cum injuria aliorum fiunt, tantique ponderis sunt, ut inter cives contentiones excitare possint. De eo monuit D. Thomas, firmumque attulit argumentum, quo conclusit, quod finis legis civilis & humanæ subsistat in isto pacis & concordie, neque progrediatulterius ad perfectam bonitatem civium. Lex enim universo populo scribitur, ex quo plebs, tanquam pars imperfectior, non admittit perfectæ virtutis usum. Quapropter in illa ferenda sunt nonnulla, quæ sanè a virtuosis non tolerarentur. Unde quoque iis solum vitiis gravioribus interdictum sit, a quibus maxima pars se abstinere potest. Subjungit tandem, si minus virtuosis præcepta dentur, quorum non sunt capaces, evadunt peiores, auctoritate S. Scripturæ: *Qui nimium emungit, elicit sanguinem.* Et affert in hanc rem aliam auctoritatem immiscendo suam expositionem; estque hæc: *Si vinum novum, (i. e. Præcepta perfectæ vitæ,) mittatur in utres veteres, (id est, in homines imperfectos) utres rumpuntur, & vinum effunditur, (i. e. præcepta contemnuntur; & homines ex contemptu ad peiora mala prorumpunt.* Et solidum hoc D. Thomæ argumentum infert, quod, ubicunq; lex hominibus etiam imperfectis imponitur, qui beneficio disciplinæ

disciplinæ



disciplinæ & educationis non possunt contendere ad veram virtutem, quod in ejusmodi communitate legislator nequeat alium scopum sibi præfigere, quam pacem & concordiam, tum porro talem virtutis gradum, qui valeat introducere in populum dictam concordiam, ejusque conservationem. Quam ob causam oportuit Justinianum ad eundem finem dirigere suam congeriem legem Romanarum, cum illæ complecterentur nobiles & ignobiles, divites & pauperes, artium sordidarum & liberalium cultores, omnesque gentes, nationesque suo Imperio subjectas, moribus diversissimis, haudque capaces uniusmodi disciplinæ. At vero in republ. optima subsistere in fine ejusmodi, res foret minimè conveniens, velut jam dictum est. Quam ob rem Plato finem illi ponit perfectam civium virtutem, eorumque felicitatem, primò de legibus, ut jam tum dixi, & modo repeto, ut detegam quam perperam citarit Platonem, Barthol. Medina, imponens illi, quod finem reip. & legum statuat pacem: id quod Plato non dicit. Id quidem scribit, quod loco ejus, quod bellum & seditiones velint, omnes ex adverso pacem cupiant: at non ait, expeti ut ultimum finem verumque: imò pertexens dissertationem paulo post concludit, legem illud intendere, ut beatos reddat, qui ea utuntur: & beatitudinem exoriri ex omnibus virtutibus junctis bonis ceteris, quæ omnia leges efficiunt. Et D. Thomas lib. I. de regimine principum cap. ult. ubi sermo illi est de officio Regis optimi, & deinceps de optima rep. inquit, teneri regem dare & conservare civibus pacem, eosque deinde ita junctos & concordantes ducere, & adjumento esse ad bene agendum. Ita ut pacem ille in optima republ. non finem ponat, sed medium ad finem bonæ actionis, quæ felicitas est. Et necessitatem pacis, ostendit capta similitudine ab homine, dicens: *Sicut enim homo nihil potest bene agere, nisi præsupposita unitate suarum partium: Ita hominum multitudo unitate carens, dum impugnat se ipsam, impeditur a bene agendo.*

Apparet itaque ex iis quæ dicta sunt, quod omnes illi tres modi de fine legis, videl. primus, secundus & tertius veri sint, at diversimodè sumpti. Nam legum finis absolutè suæque natura talis commune bonum est, sive felicitas civium seorsim singulorum, & junctim omnium. Idemque ille reapse finis est, & in effectu optimæ reip. Finis bonæ reip. non optimæ, qualis est popularis, & quæ cum hac convenit, quod postea audiemus in parte illa de rerum publ. formis, virtus bellica est, innixa illi



illi iustitiæ gradui, qui exigitur ad pacem & civilem concordiam. Finis, qui pravis quoque adaptatur, & in bonis, imo in optima exigitur, non ut finis ultimus, sed necessarius, & vero ultimoque subjectus, pax est, & concordia civium.

Ceterum de his dubitabit quispiam, quomodo pax & concordia civium in pravis rebus publ. finis dominantis sit: cum ille utilitatem propriam spectet, non concordiam civium, quam eousque tantum curabit, quatenus suo conducet regimini, suæque salutis. Dubitabitur porro de re alia, scilicet cur Tyrannus det operam, ut cives inter se per diffidentiam distineat, neque velit eos concordantes esse, ut est apud Aristotelem lib. 2. polit. cap. 11. & ego infra ostendam lib. 2.

Priori dubitationi sic respondeo, quod quæstio sit, non qualem scopum habeat præfixum Tyrannus, iique qui in prava republ. rerum potentiuntur, sed quem scopum iustum in ea præfigere sibi possit ille legislator, qui coactus formam relinquere ut est, nihilominus leges illi reipubl. dare debet. Et hic scopus fertur, quod sit pax & concordia civium.

Quod ad alteram, me explico, quod concordia, de quâ modo mihi sermo est, est illa, quæ non admittit seditionem & tumultum civilem. Et hanc quoque vult Tyrannus: at nequaquam ut familiariter & amicè una vivant cives. In quam tamen familiaritatem animum intentum deberet habere Legislator, quousque permetteret malus princeps; foretque tum æqua artificiosa occultatio mediocum ad ejusmodi concordiam idoneorum, ita ut vis eorum, quantum potis esset, principem pravum celaretur.

*Quomodo tres dicti scopi ad se invicem habeant, & quomodo qui illis oppositi sunt: & quod prava republ. ferenda sit, neq; adversus illam insurgendum auctoritate privata.*

C A P. XX.



Utrum finem imponamus huic disceptationi de legum & reipubl. scopis, superest ut perpendamus, quomodo dicti tres scopi, videlicet concordia civium, virtus bellica, & communis felicitas ad se invicem



vicem habeant. Et apparet, quod inter eos illa sit proportio, quam animæ gradus inter se habent, scilicet vegetativus, sensitivus, & rationalis. Supremus gradus, qui rationalis est, præmittit binos ceteros. Enimvero nemo rationis compos esse potest, qui sensibus caret, simulque vegetans. Quod sane in homine observamus, qui animalium omnium solus ratione præditus est: est vero una sensibus instructus, qui illi cum ceteris animalibus communes sunt, cum videat, audiat, olfaciat, gustet & tangat: tum quoque illi facultates insunt, quarum beneficio crescit, (ut ex parvulo procerus fiat) nutritur & gignit, quæ facultates cunctæ vegetantis sunt animæ, & cum plantis homini communes. Ex binis reliquis porro gradibus nobilior, qui sensuum est, sine vegetativo non consistit. Etenim nullum animal est, (tantumque animalia sentiunt,) quod non crescat, & nutriatur. Ceterum ignobilior gradus vegetativus, per se existere potest, ut in plantis liquet. Idem usu venit scopis expositis. Omnium nobilior, qui est beatitudo communis & perfecta civium, præmittit binos reliquos, videlicet fortitudinem, & pacem concordiamque mutua civium. Et fortitudinem quidem, quod, cum beatitudo exigat virtutes omnes, etiam per consequens fortitudinem requirit: concordiam vero, nam, quæ foret illa beatitudo civitatis, quæ motibus vigeret & pugnis civilibus? Jam fortitudo potestne existere sine perfecta virtute, & beatitudine? imo, eo tamen modo, ut virtus una absque ceteris stare potest, quod quomodo contingat moralibus virtutibus, exposui satis fuse in morali Hygieine (quæ pars secunda est doctrinæ meæ moralis) verum nequit consistere ut finis civitatis absque sine pacis & concordia, cum dictum sit, quod primum Legislatores sibi proponit tantum populo imprimere justitiæ, ut in pace vivat, post illa sollicitus est, ut illum ad altissimum fortitudinis fastigium evehat, quantum poterit. Ultimus tandem finis pacis & concordia sejugatus est a ceteris in rebus, ubi imperans & subjecti sibi mutuo diffidunt.

Est præterea manifestum, quod quantum spectat ad bonitatem finium, omnium optimus est beatitudo, minus bonus ille fortitudinis, melior tamen tertio. Est vero hic ceteris minus bonus, non solum quod superiores inferioribus semper copulati sunt, & ita gradus bonitatis, qui utrisque est, unitos habeant; sed quod præcisè etiam per se singulis, melius est felicem esse, quam solummodo fortem, estque etiam melior fortitudo in excelsis gradu, quam justitia, quæ ad communem concordiam requiritur, in gradu satis remisso,

H

Sed



Sed de oppositis si loquamur, planè contraria res est. Remotio felicitatis a civium cætu malum minus est, quam fortitudinis ablatio: nam remota fortitudine, felicitas semper abest, cum hæc virtutes exigat omnes: at remota felicitate non est opus, ut fortitudo quoq; sit sublata. Porrò pessima omnium pacis & concordia civilis privatio est: enimvero hanc sequitur seditio, bellumq; civile, quæ calamitates superius quidem tactæ sunt, sed describi satis nequeunt. Ex quibus colligitur, quod, cum res pessima sit, civilis seditio, cumq; ferendum sit malum minus, ut majus effugiamus, quod etiam pravum imperium potius ferendum sit: ex quo quidem communem felicitatem sperare nequimus, neq; etiam securitatem communis fortitudinis civiũ, splendoremq; victoriarũ ab inimicis relatarũ: quàm ut ad motus veniamus, qui nos ducunt, (ut solent), ad seditionem, & interna bella.

Sed forte non deerunt, qui adversus ea quæ dixi, dubitationes afferant. Quippe primò videtur, quod majori bono opponatur malum majus: & ita beatitudinis remotio, quæ majori bono opponitur, majus erit malum, quam remotio pacis internæ. Secundò, qui non est felix, infelix est, at melius est in bello versari & seditionibus, quam esse infelicem. Tertium, Phineas in sacris literis laudatus fuit, quod zelo religionis percitus arma ceperit, occideritq; undecim millia ex populo Israelitico. Et Robertus quoq; Galliarum Rex, quod bellum gessisset cum subditis suis hæresia contaminatis. Laudata etiam fuit Protestantium internecio, facta jussu Caroli Noni, die S. Barthol. anno 1572. Itaq; seditio non est pessimum in rep. malum, alias quippe non eligeretur ad remedium mali alterius.

Ad primam dubitationem respondeo, quod non valeat consequentia de bonis, quæ ex circumstantia dicuntur Aristoteli, cujus quoq; doctrina hæc est, suntq; ea, quorum majus bonum, minus includit. Ejus generis est comode vivere, & vivere, quorum illud, hoc complectitur: & sanitas & sanitas firma, hæc enim illam includit. Jam mors quæ vitæ opponitur, pejor est vita dura & misera, quæ vitæ commodæ opponitur. Ita quoq; res pejor morbus est, qui sanitati opponitur, quàm minus bonum sanitas videlicet infirma, quæ sanitati firmæ ut bono majori opponitur. Jam communis beatitudo complectitur pacem, & concordiam, cumq; sit ex circumstantia bonum, remotio concordia pejor est, quam beatitudinis communis.

Quod ad secundam negatur, quod qui non sit felix, infelix sit. Beatitudo exigit perfectionem omnium virtutum, & copiam sufficientem bonorum

rum



rum instrumentalium : infelicitas animum vult vitiis corruptum, & inopiam rerum necessariarum: ut alibi adversus Franciscum Piccolomineum scriptorem aliàs celebrem ostendimus. Inter hæc bina extrema plurimi sunt gradus, ubi qui in illis collocati sunt, nec felices sunt, nec infelices. Ad tertiam, & quartam respondeo, quòd cum Rex aliusve principatus gladium in suos rebelles distringit subditos, & si etiam bello eos adoriretur, quòd tamè haud dicenda foret seditio, neq; etiã seditionis fomentũ: sed vocanda potius esset remedia adversus istos rebelles, tanto magis si deprehendatur, quòd hac castigatione resp. facta teçta conservetur: dummodo publica arma prævaleant tantum illis seditiosorum & delinquentium, ut spes certa sit victoriæ obtinendæ, & evellendi motuũ radices. Et talis erat casus Phineæ, & Roberti, ubi vires regiæ & publicæ certò superiores erant illis secedentium a Deo, & vero ejusdem cultu. Alias, si vires publicæ inferiores erunt delinquentium viribus, istiq; non lacessiti nihil moveant, nec impediunt quo minus vivant quiete boni, tum opus erit illos tolerare: enimvero alias occasio præberetur excidio communi, & succedit quòd Lucanus habet,

— — populumq; potentem,

*In sua vittrici conversum viscera dextra.*

Habet quoq; locum in heræsis illud Christi, *Ne forte triticum eradicetur cum lolio*, eo modo ut supra cap. 7. exposuimus.

Dixi tamen, si subditi inobedientes non lacessiti tutam tranquillamque pacem servaturi sint. Nam si ex adverso quotidie machinarentur, tenderentq; insidias; ut faciebant remporibus Francisci II. & Caroli IX. in Francia Protestantes, & præcipuè Gaspar Collineus, cum Reges identidem parum abessent, quin in illis intercluderentur: rebus ita constitutis necessitas incumbit Principi & principatui defendendi se, quæ defensio tam justa licitaq; ipsis est, quam iniqua subditorũ insurgentiũ Imperantes rebellio. Eamq; ob causam rectum & justum fuit consilium Caroli Noni, perfectum die Bartholomei anno 1572. per quòd Parisiis & in aliis Galliæ urbibus præter supremum classis regiæ ministrum Collineum ceciderunt triginta millia ex heræticis, captis insuper Navarræ rege, qui postea Franciæ Rex nomine Henrici IV. fuit, & Principe Condæo.

Patet jam, quid ad quintam objectionem respondendum sit ex ijs, quæ jam dicta sunt, quoniam Carolus IX. consilium a deo cruentum cepit de heræticis, quòd suæ personæ insidiarentur & sceptro perpetuum. Hinc etiã die in-



sequenti Rex ipse in Parlamento Parisino dixit, de suo consilio & mandato eadem esse factam, ad eamq; extrema se necessitate esse impulsam, cum certus scisset, illos in vitam suam conspirasse.

*Divisio rerum in suas species secundum Platonem, Aristotelem, & Polybium.*

C A P. XXI.

**R**osteaquam vidimus, quis verus finis legum & reip. sit, tam in gradu primo & absolute, qui est finis optimæ reip., quam in secundo & tertio, qui fines sunt non optimarum rerum, quorum tertius potest quoq; finis esse legum in pravis rebus. superest ut videamus rectam reip. formam, quod alterum est postulatum recti imperii. Ut itaque repetamus divisiones veterum scriptorum, Plato variè Remp. dividit: nam in lib. de rep. primum quinq; facit rerum. species, regiam vid. tyrannidem, Aristocratiam, Oligarchiam, & Democratiam sive popularem. Verum quidem est, quod hanc divisionem tradat ex sententia aliorum: nam ubi suam recenset in eodem de rep. lib. septem facit rerum. species. Prima earum optima est, estq; quando is, qui tenet imperium libere dominatur, solutus omni lege, imperat vero cum plena perfectaq; cognitione civilis prudentiæ, rectè & cum absoluta potestate. Ex ceteris sex speciebus, tres bonæ sunt, & tres pravae. Et considerantur ut in præsentibus legibus sunt adstrictæ, quodq; illarum tres imperent secundum legum præcepta, reliquæ transgrediendo leges. Quando itaq; in rep. quæ legibus adstricta est, unus rerum potitur, isq; imperat secundum leges, bona est resp. vocaturq; Regnum. At si idem ille imperat adversus leges, pro suo lubitu, & voluntate, forma prava est, diciturq; Tyrannis. Deinde si resp. in paucorum manu est, qui secundum leges imperant, resp. bona est, diciturq; Græco nomine Aristocratia, Latine dominatus optimorum: hinc etiam Imperium optimatum appellatur. At si pauci illi adversus leges imperant, pro suo lubitu, forma prava est, diciturq; Græcis Oligarchia, quæ significat secundum etymon vocis dominium paucorum, at ex usu scriptorum gravissimorum & præcipuorum, (excepto Polybio,) dominium pravam paucorum.



eorum. Tandem si imperium in manu est multitudinis, illaq; secundum leges gubernat, bona est resp. diciturq; popularis bona. At si adversus leges imperat ex arbitrio suo, resp. prava est, diciturq; popularis prava, Græcis Democratia. Octavo de iusto idem Plato videtur remp. solum dividere in species quinq; , in Aristocratiam, Laconicam & Cretensem, quam ambitiosam vocat, in Oligarchiam, in popularem, & in tyrannidem. At ibi Plato non generatim dividit resp., sed enumerat illas, in quas paulatim transit resp. optima ab ipso constituta, quæ Aristocratia est: enimvero propter paritatē disciplinæ qua ætenuis annis informantur cives, & exactam educationem, sibi opinione fingit, quod necessariò talis morum optimorum æqualitas & virtutū in civibus futura sit, ut nullus locus relinquatur Regno. Quando verò optima corrumpitur, primo in ambitiosam labitur, in qua jam prævalet cupiditas honorum: ex illa in Oligarchiam, hoc est dominium, in quo prævalet respectus & æstimatio divitiarū: ex hac transit in popularem: & ex illa tandem fit Tyrannis. Non itaq; sui immemor est Plato, propter varietatem divisionum, quas recensuimus.

Aristoteles Platonis divisionem rerump. in species sex recipit, ita tamen ut illis sex includat optimam. Quare tres facit bonas, Regnum, Aristocratiam, & popularem bonam, tresq; pravas, tyrannidem, oligarchiam & popularem pravam: at in distinguendo illas & nominando, differt quadamtenus a Platone. Etenim perpendens Philosophus, quod res morales sine distinguantur, sic ille eas sine distinguit. Qui imperat, aut dominatur commodi publici gratia, fitq; resp. bona, aut propter suum proprium commodum & è re sua imperat, fitq; resp. prava. Si itaq; imperium in unius manu est, illudq; administrat, ut publicam spectet utilitatem, vocatur regnum: si in propriam utilitatem, tyrannis fit. Si pauci imperio præsent, & in commodum commune imperant, Aristocratia dicitur, si in propriam Oligarchia. Si multitudo imperium tenet, illudq; administrat ut communem utilitatem spectet, popularis existit bona. hancq; Aristoteles communi generis nomine rempublicam appellat: si imperat, ut propriam utilitatem spectet, hoc est utilitatem pauperum & plebis quæ dominatur, popularis prava est, eamq; vocat Idem Democratiam. Dissident itaq; primò Plato & Aristoteles in differentiis specificis rerump. quapropter bonæ vel pravae fiunt: etenim Plato illas desumit ex observantia & transgressione legum, & Aristoteles ex fine regiminis, qui vel commodum commune, vel pro-



prium est. Dissident secundo in nomine reip. popularis bonæ & pravæ: Plato enim ambas vocavit Democratias, at Arist. bonam, Remp. appellat, in Græco politiam, & pravam Democratiam. Verum est quod illam remp., vel ut nomine jam cognito & recepto appellet, tamen alibi & alio a se ficto vocabulo appellat, nempe Censipotentiam, & voce Græca Timocratiam. Ita fecit in Ethicis. ubi inquit: *civilitatis verò tres species sunt, totidemq; transgressiones, quasi corruptiones quedam illarum: ac civitates quidem regnum, Aristocratia & tertia que a censibus existit, quam Censipotentiam vocare accommodatum videtur, sed pleriq; Remp. eam appellare consueverunt.* Idemq; confirmat in politicis, quod vocabulum Reip. jam in communierat usu significandi bonam popularem, ubi inquit: *cum autem multitudo gubernat ad communem utilitatem vocatur communi omnium nomine Resp.* Dicit hic, *vocatur*, non inquit *voco*, quo genere dicendi uti solet, quando ipse vocabula fingit. Et hoc Reip. vocabulum in Politicis servat, ita ut post illa nunquam porro mentionem faciat vocabuli Timocratia, sive Censipotentia, ut eo indicaret bonam popularem. Hæc Aristotelis doctrina recepta est a plerisq; & quod ad divisionem senariam reip. spectat, Polybius quoq; eam amplectitur, ut tres bonas ejus, tresq; pravas constituat. Bonæ illi sunt Regnum, Aristocratia & Democratia: pravæ tyrannis, Oligarchia & Ochlocratia, quæ potentiam exprimit turbæ, hoc est plebis, cum vox Græca  $\delta\chi\lambda\omicron$  significet turbam, & plebem, at  $\delta\eta\mu\omicron$  populum. Ita ut resp. popularis bona nominanda fuerit popularis, sumto nomine a populo, & prava vocanda plebeia, a plebe capto nomine secundum Polybium, qui in eo dissidet ab Aristotele: nam ille pravam Democratiam appellat, & popularem bonam Remp. Est & alia discrepantia verborum inter Polybium & Aristotelem. Enimvero Polybius vocabulum Oligarchia attribuit quoq; Aristocratia, sed Plato & Aristoteles soli pravæ adscribunt. Verba Polybii sunt: *Neq; etiam quævis Oligarchia pro Aristocratia reputanda est, nisi ea tantum que sec. electionem a justissimis & prudentissimis viris equaliter administratur.* Quantum apparet, sequitur Polybius etymon vocabuli, cum Oligarchia Græcis significet principatum paucorum: at Aristoteles & Plato communem usum sequuti sunt, qui quoq; plus valet, & ex sententia Aristotelis & Ciceronis præferendus est. Senariæ itaq; Aristotelis insistentes divisioni, in qua fermè conveniunt Plato & Polybius, dicimus principio, quod *suprema sive absoluta potestas in rep. de qua ca-*

ptie



pite primo hujus libri sermo erat, aut penes unum est, aut penes paucos (veluti quando in manu est aut nobilium aut divitum, qui collati cum multitudine populi, pauci semper sunt) aut penes populum est. Si penes unum solum est, Græco nomine Monarchia vocatur, & nostro idiomate *principato d' un solo*, (principatus unius): enimvero nos non utimur hodie vocabulo Monarchiæ, ut quemvis principatum unius, sed ut imperium vastum lateq; diffusum, & quasi totius universi significet: & eo sensu Monarchiæ, quæ olim exstiterunt, in quatuor species distinguuntur videl. in Chaldaicam, Persicam, Macedonicam & Romanam. Verumenimvero si Monarchiam accipimus pro quocumq; unius principatu, sive illud imperium sit vastum, sive exiguum, si illud administratur in commune commodum, Regnum dicitur, græcis βασιλεία: si è re imperantis, tyrannis est. Monendum & hic est, quod hodiè communiter vox Regis, & regni, non capiatur pro quovis principatu unius tantum, licet absolutè imperet: etenim Còmes S. Floris absolutus dominus est istius loci, attamen longe abest a Regis nomine: ita quoq; Magnus Dux Muscoviæ, & ille Sabaudia, aliiq; similes, Domini absoluti sunt, nihilominus non vocantur, nec habentur reges: cum ad Regis nomen major potentiæ amplitudo requiratur, sæpiusculè etiam ut titulus iste ab una supremarum Majestatum Christianorum, Imperatore, videl. vel Pontifice concessus sit.

Poloniæ principatus Regni nomèn obtinuit ab Otthone Tertio in Bolislao cognomine Chrobrij. Et Vratislaus primus Rex creatus fuit ab Henrico Quarto Imperatore, loco Ducum Bohemiæ. Sed revertamur modo ad Politicum sensum, secundum hunc, regnum principatus unius est absolute dominantis, significatq; formam reip. non amplitudinem status. Sequitur imperium ubi summa potestas in manu est paucorum, hi si imperant ad communem utilitatem, Græcis Aristocrazia dicitur, nobis *stato d' ottimati*, (optimatum status): si ad utile proprium, græcis Oligarchia, nostris *stato di pochi*, (paucorum status) appellatur. Jam si populus supremam habebit potestatem, imperabitq; ad commune commodum, resp. erit speciatim ita dicta: quod si ad utile proprium plebis & pauperum dominabitur, status erit popularis, Græce Democratia sec. Aristotelem, quem sequimur: sed Ochlocrazia sec. Polybium. Ceterum vocabula Græca etiam usus retinuit in nostra lingua (Italica) quare ego quoq;

mixtim cum nostratibus illis utar,

De



De Discrimine boni & pravi finis, & quod  
illud essentialè sit, adversus Bodinum  
ostenditur.

## CAP. XXII.

**P**ro hypothesi posui divisionem reip. in bonam & pravam essentialem esse, pariterq; differentias adduxi unius, paucorum & multitudinis, tanquam res constituentes rerump. bonarum & pravarum species. Et hoc & illud suos habet oppugnatores. Quod differentia reip. bonæ & pravæ, a bono & pravo sumpta, essentialis sit, Bodinus repugnat, vult enim esse differentiam accidentalem. Altera, quæ ab uno, paucis, & multitudine capitur, huic ipse non favet Aristoteles, qui accidentalem esse monet. Accedamus ad differentiam bonarum & pravarum. Bodinus itaq; homo multæ lectionis, at vagæ & confusæ doctrinæ, uti quoq; religionis corruptæ, (quantum ex ejusdem operibus colligere licet), cum oppugnet ubivis fere in suo de Rep. volumine politicam Aristotelis doctrinâ, ubi divisionem ejusdè rerump. attingit, plane eam conculcat, afferens doctrinâ novam, non solum Aristoteli repugnantem, sed & Platoni ac Polybio, omnibusq; gravissimis politicarum rerum scriptoribus. Dividit remp. in tres tantum species, in Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam. Etenim aut summa potestas est penes unum solum, estq; Monarchia, aut penes omnes, & Democratia est, aut penes paucos, & Aristocratia est. Quod post illa Monarchia vel regnum vel tyrannis est; Aristocratia bona vel prava, videlicet imperium bonorum, vel divitum: & porro quod Democratia bona vel prava sit, hæ differentia ab ipso accidentales reputantur, quæ speciem non immutant. Ita quidem, ut ex illius sententia, Regnum & Tyrannis eadem imperii species sit, uti quoq; Aristocratia & Oligarchia, quæ secundum alios sibi opponuntur: idemq; dictum puta de populari bona & prava. Et argumentum quod ad probandam suam sententiam affert, tale est, & hisce verbis est expressum: *Nam si rerump. formas bonorum ac malorum finibus, aut virtutibus ac vitiis metimur, infinitas esse comperiemus. At in rebus omnibus apte recteq; definiendis, ipsarum vim ac naturam, non quæ cuiq; extrinsecus accidunt, intueri oportet.* Quod argumentum, &



& quod inde sequitur, quam habeat vim, & quam veritatem, satis manifestum est. Enimvero, si virtutes & vitia infinita sunt, & sic fines boni & pravi, ideo species rerump. infinitas constituere possunt? Ceterum virtutes & vitia determinata sunt numero, & si quis assereret, quod malum infiniti sit, auctoritate Pythagoræ, quam admittit Aristoteles, ubi inquit, *multis modis peccare possumus, malum enim est infiniti, ut Pythagorici conjectabant*, (l. 2. Eth. c. 6.) respondeo primum, infinitum ibi significare indeterminatum, nec verè & propriè infinitum. Deinde dico, quod infinitas, cujus istuc loci mentio fit, graduum est, non specierum: etenim, verbi gratia, avarus parcere sumptibus potest magis & minus, & porrò magis, magisque semper, quod parsimoniam illius plus intendit, at non inde fit alia species, quam quod ex parco fiat avarus: quamobrem infinitas, quæ vitio datur, non mutat neque auget illorum species. Addamus post illa, quod fines bonorum & malorum resp. à se invicem dirimentes, ad bina membra in nostro proposito reducantur; scilicet, ad finem commodi communis civium, & ad finem propriæ utilitatis imperantis: quæ distinctio bimembris non potest nisi duplicare species, quæ ex aliis differentiis proveniunt, (veluti modo illa unius, paucorum & multitudinis, sive populi universi) id est, non potest nisi duplicare Monarchiam in regnum & tyrannidem: illam paucorum in Aristocratiam & Oligarchiam: & popularem in remp. & democratiam. Sed ex adverso pro confirmanda doctrina Aristotelis, quod differentia a fine sumpta essentialis sit in moralibus, non accidentalis, quis nescit, actiones morales ex fine in species dividi suas? quamobrem elemosyna data in eum finem ut inops ea juveretur, & per illum res fiat Christo grata, opus est charitatis: at dare eam, ut ea propter vitium puellæ inopi inferatur, opus est incontinentiæ. Non illi cito Aristotelis auctoritatem, quam adversarius vilipendit, sed commodè ipsum sibi cito, qui alibi ait; *definitio nihil aliud est, quam rei propositæ finis*. Si itaque definitio finis est, quomodo differentia ex fine dependens modo fit accidentalis? Non mereatur adeo contorta dicta, & implicata fundamenta ut refellantur, sed potius ut negligantur. Prætereo modo impropriam locutionem vocabuli Aristocratia, qua utitur, de qua dicam inferius.

Reduco solum in memoriam, propter hunc finem, quomodo divisio præsens rerump. in bonas & pravas conveniat cum eo, quod constitu-



tum est de vero fine reip., & quomodo divisio specierum earundem ab eod. fluat sine, quæ veritatis proprietas est, doctrinam ubique sibi consonare. Cogor nihilominus his annectere, quod discrimen boni & pravi solum distinguat in ead. materia vitium à virtute: nam temperans fruitur voluptatib. corporis, tam venereis, quam esculentis, & iisdem fruitur intemperans; at quoniam hic iis fruitur prave, & alter bene, scilicet quantum, & quomodo, & ubi convenit, unus vitiosus est, & alter virtuosus. Aut itaque negabit Bodinus, temperantiam & intemperantiam habitus esse specie diversos adversus omnes moralium scriptores: aut fatebitur, quod solum bonum & pravam differentiam sint essentielles, ad distinguendas, constituendasque actiones morales, morales habitus, societatesque civiles.

*Differentiam à paucis & multis desumptam  
non esse essentialem: at vero illam a pauperib.  
& divitibus.*

#### CAP. XXIII.

**A**ccedo in præsentem ad differentiam a paucis & multitudine desumptam, an illa essentialis sit, an minimè. Aristoteles l. 3. p. c. 5. postquam diviserat resp. ut vidimus, per illud, quod iis unus, pauci, vel multitudo universa præsit, progreditur ad exponendum rectius, in qua re ponat essentiam dictarum differentiarum, concluditque, esse in eo sitam, quod opulenti sint, vel inopes. Etenim usu venit, divites semper numero esse inferiores pauperibus, pauperesque divites numero superare, ita ut pauci constituent formam Oligarchiæ essentialiter, non respectu exigui ipsorum numeri, sed respectu divitiarum, quæ illi exiguo conjunctæ sunt numero: & multitudo essentialiter constituat Democratiam, non propter numerum ipsius ingentem, sed ratione paupertatis, quæ magno huic numero includitur. Quare cum superius dictum sit, quod Oligarchia veluti resp. prava proprium spectet commodum eorum, qui imperant, magis restrictè dicere vult, Oligarchiam remp. esse, in qua divites impe-



imperant sui commodi gratia : & sic cum Democratia definita sit resp. ubi multitudo imperat ad suum commodum, & è re sua, vult dicere, Democratiam esse remp. ubi pauperes imperant, proprii commodi gratia : ita ut Oligarchiæ finis sit utile divitum, Democratix utile pauperum. Hæcque est conclusio Aristotelis loco indicato, hisce verbis : *videtur igitur ratio planum facere, paucos vel multos esse, qui summam potestatem habeant, accidens esse : unum horum, dominatum paucorum : alterum autem statuum populi : quia locupletes pauci, pauperes autem multi ubique sunt. Qua etiam de causa non contingit, quæ dicta sunt, causas esse cur differant. Quo autem differunt inter se status populi & dominatus paucorum, sunt paupertas & divitia. Et necesse quidem est, ubicunque imperium nacti fuerint ope divitiarum, sive pauciores, sive plures sint, esse hunc dominatum paucorum : ubi autem imperium habent pauperes, statum populi.* Ceterum quoniam tandem imperii attributio pro fundamento habet quoddam, meritum sibi sumptum tributumque apud divites, ejusmodi meritum ex divitiis nascitur : nam sic rem reputantes secum, quod iis, qui plus merentur, debeatur quoque præcellentia in imperio, credunt planè se cæteris majores, cum divitiis alios vincant. At pauper inopiam suam putare non potest meritum, cum fateatur potius penuriam, sive privationem, quare pro merito ille affert libertatem & ingenuitatem, indeque sumit, cum cives omnes quamvis pauperes & plebei æqua libertate fruantur, quod æque etiam participes omnes esse debeant imperii. Quapropter quarto politic. cap. 4. determinat tandem Democratiam existere, cum imperium est penes ingenuos, & liberos, & Oligarchiam, (servata præcedenti determinatione) cum imperium est penes divites : quo loco in exemplum affert, si omnes qui in civitate viverent, mille forent & trecenti, quorum mille essent divites, hique imperium administrarent, & trecenti inopes, hique exclusi a publica administratione essent, quod nullus talem remp. vocaturus sit popularem, licet plurimi imperent. Et ex adverso, si pauperes quidem numero minores essent, at tamen imperium in manib. haberent, removissentque ab eo divites numero multo plures, non dictum iri ejusmodi formam statum paucorum potentium, sive Oligarchiam. Hæc est Aristotelis expositio. Ceterum huic se opponit Bodinus, illum accusans, quod ita recedat ab opinione omnium non modo Philosophorum, sed quoque populorum omni-



um in definiendo Aristocratiam & Democratiam, ut stabiliat suam : & quod propter hanc Aristotelis opinionem, præcepta omnia tradita in doctrina de rep. funditus sint uno eodemque peritura momento : dicitque præterea, quod asserat Aristoteles vulgarem opinionem in contrariam esse partem, seque nihilominus illam non probare. Jam vero firmissima est Aristotelis doctrina, & illa Bodini reprehensio inutilis, simulque falsa. Quod ad stabilitatem doctrinæ Aristotelis, repetatur fundamentum illud, quod dat ipse cap. octavo. lib. 3. politic. imo ipsa rei evidentia illud subministrat. Et est, quod in quacunq[ue] unione hominum, non spectatur meritum aliud, quam quod per se confert usui destinato illius congregationis : v. g. in musico concentu non præstantius & carius instrumentum dabitur pulchriori, aut nobiliori aut magis erudito, sed qui sciverit eo uti rectius. Ita quoque in societate scenicorum, non partes potiores nobiliori tribuentur, sed histrioni meliori : idemque usu venit in aliis quoque societatibus. Pariter itaque in civili societate, non excellentiæ quæcunq[ue] attendendæ sunt in distribuendis imperii gradibus, sed solum illæ, quæ ad commodum contendunt, & ad bonum imperium civitatis ; ad quod concurrunt prudentia, virtutes morales, divitiæ, (nam sine instrumento ejusmodi nullum ferè civile opus peragi potest) & multitudo hominum liberorum, quæ requiruntur ad negotia pacis bellique : ubi ex adverso pulchrum esse, excelso corpore, & similia, accidentalia sunt regiminis. Quo jacto fundamento sequitur, veram esse doctrinam Aristotelis allatam modo, quod pauci, ratione numeri exigui, faciant accidentalem essentialiam Oligarchiæ constitutivam : sed illi ipsi ratione divitiarum essentialiam differentiam constituunt ejusdem formæ. Idemque putandum de multitudine in Democratia, respectu paupertatis & ingenuitatis : quoniam esse illos numero quadraginta, aut centum, aut alio tali, per se ipsum non pertinet ad imperium, sed per accidens tantum, cum speciei numerorum per se nulla connexio sit essentialis cum regiminæ reip. Quod inquit apud Xenophontem Theramenes adversus Critiam collegasque ceteros, electis tribus millibus in societatem gerendæ reip. cum inquit : *absurdum sibi videri, quod quum ab initio voluerint optimos quosque civium in societatem rerum adsciscere, nunc tria millia legerint, quasi numerus hic necessitatem quandam habeat, ut hi viri boni, & honesti sint, neque fieri possit ut vel extra illos sint ulli virtute præditi, vel in eorum numero impro-*



*improbi.* Ita vir ille bonus ridebat, quod quasi singulare quidquam tribueretur speciebus numerorum. Dissertationi huic finem impono, ut firmo stet talo, species numerorum, quatenus tales, nullis essentialibus vinculis cum rep. & ejus administratione conjunctas esse: unde est, quod neque per se ipsa differentia sunt constitutiva specierum Reip. sed solum sunt tales, quatenus continent nonnullas rerum earum, quae faciunt ad administrationem Rerump. & quarum meritum spectatur in civili societate. Paucos igitur esse Rectores in Rep. non constituunt, quod pauci sint, formam Oligarchicam: opus itaque est, ut illud faciant, quatenus conjunctam sibi habent differentiam aliam essentialem, quae alia nulla erit, quam divitiarum: cum Oligarchiam Aristocratiae opponamus, quae ex virtute formatur, & nobilitate etiam, ut postea dicitur. Idem erit differendum de multitudine respectu Democratiae, cui exponere illud uberius erit commodum. Huic rationi alia annectitur, estque, quod illarum differentiarum diversas constituunt rerump. species, quae reddunt mores personarum diversos, & operationum principia: quapropter axiomata alia capiuntur, & quod inde sequitur, aliae leges conduntur. At divitiae, paupertas, nobilitas, ignobilitas, & ante omnia virtus & vitium, varios produciunt mores; ut apparet ex iis, quae tradidit Aristoteles *lib. 2. Rhetoric.* & ego *lib. de conjectandis moribus*: & paulo post proferuntur verba Xenophontis ead. de re, ubi ait, esse centum, aut centum & quinquaginta, aut ducentos congregatos, plus minusve, si non intercedat alius respectus, non efficere morum varietatem, minimum magni momenti. Itaque minimè paucos esse & multos, sed pauperes esse & divites essentialia differentiarum sunt reip. in constituenda ea Oligarchia & Democratia.

Quantum ad Bodini rationes, non requirunt aliam responsionem quam infirmationem confidentem, ut ille gratis loquitur, ponitque suas theses. Ille argumento primo ait, sententiam Aristotelis contrariari omnibus Philosophis, & gentibus. Illud vero falsum est: enimvero Philosophi populiq. agnoverunt, essentiam Democratiae consistere in eo, quod pauperes imperium in manu habeant non multitudo. Xenophon in tractatu de Atheniensium rep. de hac differens Democratia, haec profert verba: *Primum igitur hoc dicam, merito pauperes ac plebem ibi plus posse, quam nobiles & divites*: quibus Xenophon Democratiam describit, non per numerum, sed paupertatem, illamque opponit non numero paucorum,



rum, sed nobilitati & divitiis, tanquã differentiis scilicet, rerump. sibi oppositarum, quæ Oligarchia & Aristocrata est. Et paulo post clarè ostendit, quod fundamentum status popularis paupertas est, & vilitas imperantis, cum ait: *quippe dum pauperes, & plebei & nauci homines aliquo loco sunt, & ad aliquem numerum excrescunt, statum civitatis popularem augent: subnequitque fundamentum status contrarii, dicens, sin divitibus & egregiis hominibus bene sit, tum vero plebei vires adversariis suis adjungunt, Sunt autem ubique terrarum optimates dominatui plebeio contrarii.*

Plato l. 8. de Justo, definit Oligarchiam eam esse remp. in qua magistratus distribuuntur ex censu, divitesque dominantur, & pauperes non participes sunt imperii: ita ut ille non ex numero exiguo Oligarchiam constituat, sed ex Rectorum divitiis, uti quoque tradit Aristoteles d. lib. Et cum popularem definit, ait, existere cum pauperes divitibus superiores, partem eorum occidunt, partem in exilium mittunt, ceteros sinunt fieri æque regiminis participes: honoresque & magistratus ibidem sorte distribuuntur. Ut quidem Plato & Xenophon easd. ponant differentias rerump. Oligarchicarum & Democraticarum, quas ponit Aristoteles. Tantum abest Aristotelem recedere à mente omnium Philosophorum. Idem ostendi posset, quantum ad id attinet, quod gentes putant: sed sufficiant, quæ dicta sunt.

Alterum argumentum, quod propter Aristotelis opinionem præcepta omnia tradita in doctrina de rep. corruerent, falsa nititur consequentia: quoniam etiam manent stabilia tradita præcepta secundum sententiam illius. Nam præcepta à politicis data plerumque mores spectant, & opiniones pauperum divitumque, ut temperentur, aut provideatur, ne eorundem effectus illis ipsis damno sint; non vero respiciunt numerum majorem minoremve, quatenus talem. Xenophon. demonstrat contrarietatem regiminis popularis & Aristocratici & Oligarchici, nasci præcipuè ex moribus, dicens: *Sunt autem ubique terrarum optimates dominatui plebeio contrarii. Nam in optimatibus libidinis ac injustitia minimum est, studium vero rerum honestarum accuratissimum: contra in plebe plurimum inscitia, confusionis, improbitatis. Etenim paupertas magis eos adducit ad turpia, & plerique mortalium propter penuriam, neque liberaliter educari, neque recte institui possunt, (de Rep. Ath.)* Ut ita præcepta spectent mores, qui ex paupertate, divitiis, nobilitate, ignobilitate nascuntur, non numerum majorem & minorem quatenus talem, ut ex allatis apparet.

Quan-



Quantum tandem ad id, quod Aristoteles dicat, opinionem communem suæ esse contrariam, ut Bodinus testatur, plane a vero alienum est: imò ita loquitur Aristoteles, ut ostendat credere se communem opinionem suis dictis plane consonare. Verba ejus hæc sunt: *Etenim si essent universi mille trecenti, & horum mille forent opulenti, neque partem gubernationis darent illis trecentis pauperibus ingenuis, ac in ceteris paribus, nemo certe diceret hanc esse popularem*, (lib. 4. pol. c. 4.) Ecce quomodo Aristoteles planum facit opinionem communem favere suæ; & pergit: *eodemque modo, si pauci quidem inopes in civitate plus possent, quam multi, & opulenti, nec honores illis impertirentur, nemo utique diceret hanc esse speciem, quæ appellatur paucorum potentium*. In Græco vox Olichargiæ est. Tantum itaque abest ut Aristoteles asserat communem opinionem adversari suæ, sicuti Bodinus affirmat, ut potius illam sibi manifestè adducat faventem.

*De Bodini divisione malæ reip. ejusdemque usu  
pravo vocis Aristocratiae; deque divisione reip.  
aliorum quorundam.*

C A P. XXIV.

**B**odinus dividit in tres solum species remp. in Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam: & Aristocratiam sumit pro quacunque rep. in qua pauci imperio potiuntur, sive illud pravum, sive bonum sit. Qua in re sane discedit ab Etymologia vocis, quæ significat potentiam optimorum, & non paucorum: recedit etiam ab usu præcipuorum scriptorum, præcipue Græcorum, Aristotelis, Platonis, Polybii, Plutarchi, qui vocavit remp., ubi pauci imperant, quodcunque etiam sit imperium, Oligarchiam, Herodotum imitans; in quo communi significato, dixi jam Polybium quoque vocem sumsisse. Ratione itaque Etymologiæ, & usus, malè Bodinus utitur voce Aristocratiae, ut significet quodcunque sit imperium paucorum, sive bonum, sive pravum: eaque propter etiam illi reprehensionem merentur, qui imitati eum sunt in rebus.



busp. dividendis. (*Petrus Maria Contarrenus.*) Alter error essentialis Bodini in hoc fuit, quod credidit, reip. bonitatem & pravitatem, non essentialem causari differentiam, & quod ideo ejusd. speciei sint regnum & tyrannis, Aristocratia & Oligarchia, scilicet paucorum bona & prava: popularis bona & prava, qui error jam refutatus est, cum fundamentis ipsius respondebatur.

Alii dividunt remp. in Monarchiam & Polyarchiam, hoc est in principatum unius, & plurium quam unius: & polyarchiam postea subdividunt in principatum paucorum, Oligarchiam, & principatum populi universi, Democratiam. Quæ divisio eousque in reprehensionem incurrit, quatenus constituit numeri discrimen differentiam essentialem rerump. adversum ea quæ jam demonstrata sunt: cum illi pauci, qui in Aristocratia dominantur, conjunctam habeant aut virtutem veram, aut opinionem talem, in Oligarchia divitias: multitudo paupertatem sibi junctam habet, sive libertatem suo merito: at in polyarchia, pluralitas numeri segregata, ut est, a paupertate, & divitiis, a virtute & vitio, nobilitate & vilitate, nullam sibi copulatam habet differentiam idoneam ad constituendam distinctionem, & divisionem civilem, propter ea quæ dicta jam sunt. Eodem se res habet modo de paucitate numeri in Oligarchia, quam communem ponunt Aristocratia & Oligarchia speciatim ab ipsis sumptæ. Nam in ea latitudine, nec divitias unitas sibi habere potest, nec nobilitatem, nec virtutem, nec aliud quidpiam tale, cum abstrahatur ab omnibus. Quamobrem tamen magis elucet acumen ingenii & profunda scientia Aristotelis & Platonis, qui quidem usi sunt numero exiguo & magno in distinctione rerump. at eo solum accepto modo, quo junctas sibi habet differentias politicas, aut divitiarum, aut paupertatis, vel nobilitatis, aut virtutis vel libertatis, neque modo alio. Res sanè a recentioribus novatoribus non intellecta.

*Subdivisio rerump. bonarum, & cum primis  
Aristocratia, sive status optimatum, qui uberrimè  
exponitur.*

CAP. XXV.

**S**ed relictis rebusp. pravis, quas infra denuo dividam, usui est, ob ea quæ sunt dicenda, utque clarius intelligantur, bonas iterum subdividere; quousque



usque tamen ad præsentem meum finem conferet. Erit autem divisio illa, quam innuit Aristoteles quarto politic. alias republ. in Idea esse, & sicut novit prudens politicus illas fingere animo pro sua electione, alias esse in usu, quibus in usu quotidiano locus est. Ita ille quidem: *Quare manifestum est, quod ejusdem est sententia, videre quæ sit optima resp., & qualis maxime ad votum foret, nullo externorum eam impediante, & quæ quibus conveniat: nam plures optimam assequi forsitan impossibile est. Itaq; & ea, quæ sit simpliciter optima, & ea, quæ quantum fieri potest optima, latere non debet legislatorem, & vere civilem hominem.* Descriptio Regis, quam ponit Aristoteles 3. politic. quod virtus ejus major sit aliorum omnium virtute, in Idea est: quis enim unquam extitit Rex, cujus virtus major fuerit virtute omnium suorum subditorum simul sumptorum? At in usu sufficit, ut muneri imperandi par æstimetur, sive ut dignitas regię familię illum regem constituat legitimum: ita quidem, ut visi sint plurimi etiam è Catholicis, sequi cum damno conscientię suę consilia principum hæreticorum, quod ipsi sanguinis essent regii. Hęc differentia Idealis (ut voco) & usualis accidit præcipuè Aristocratię, ideoque Aristoteles 4. politic. facta denuo mentione verę & perfectę Aristocratię, jam consideratę ab ipso lib. 3. postea tres alias ponit, quibus in vita civili usus est; quas ego hic loci quoque recensebo, repetens a primis principiis dissertationem de Aristocratia, quod opus illa sit, ad ea quę sequentur de justitia status apparentis sive personati. Jam dixi itaque Aristocratiam paucorum esse imperium ad commune commodum. Verba Aristotelis, quę majoris perspicuitatis gratia afferro, hæc sunt: *Cum vero pauci gubernant, plures tamen uno respicientes ad communem utilitatem, optimatum gubernationem, (in Græco Aristocratiam) velex eo, quia optimi præsunt, velex eo, quia ad id, quod optimum civitati est, spectant, vocare consuevimus.* Ex his verbis simul junctis binę res colliguntur: definitio Aristocratię, & vocis Etymon. Hoc provenit a voce græca ἀριστος, quę optimum significat, ut idem sit Aristocratiam dixisse, ac latinè Optimipotentiam. Quà in re utrum vox optimi referenda sit ad personas, quod scilicet imperium penes optimos sit cives, an ad finem referenda, quod ab ipsis regatur civitas ad finem supręmę utilitatis, in dubio reliquit Aristoteles. Et sanè ambigi potest, ad quodnam ex hisce optimis respexerit, qui hoc nomen illi dedit, cum ita vocaret: at quoniam in sensus incurrit persona magis quam finis, di-



cendum est, quod a bonitate Rectorum potius sic fuerit appellata, quam a bonitate finis, quamvis si ipsius natura & essentia spectetur, magis ex fine pendeat, quam personis: propter ea, quæ antea confirmata sunt. Sciendum tamen est, quod vera Aristocratia utramque includat bonitatem, tam finis, quam personarum: enimvero non potest regimen tendere ad optimum finem, si Rector non sit optimus: nam quantumvis pravus actionem quandam peragere possit, quæ ad bonum tendat finem: nihilominus perpetuus tenor optimarum actionum spectantium cum primis commodum aliorum, non poterit reperiri, nisi in homine optimo. Ea; propter concludit Aristoteles 4. politic. cap. 7. Rectores Aristocratiæ ut sint optimi, cum inquit: *Aristocratiam igitur rectè se habet appellare illam, de quâ tractavimus in primis libris. Quæ enim ab optimis viris simpliciter per virtutem est gubernatio reip. & non ad suppositionem quandam bonorum virorum, eam solum justum est Aristocratiam appellari.* Quibus ex verbis colligitur quoque, quod etymon vocis, de quo dubitabat tertio politic., dicto quarti loco determinet, provenire inde, quod optimi sint civitatis rectores. Hæc itaque vera est Aristocratia, sive Status Optimatum, qui potius (ut voco) in Idea est, quam quod detur, estque potius, qui chartis inscribitur, quam qui reapse in civitatibus reperiatur. Nec potest illa inveniri, nisi ubi publicè educati institutique erunt pueri & juvenes ad virtutem, ut agnovit, fassusque est Aristoteles, cum negaret esse in certis civitatibus Aristocratiam, quoniam in illis *non habent publicè curam virtutis.* (lib. 4. polit. c. 7.) Estque ratio, quod in perfecta Aristocratiâ distributio imperii sit secundum veram virtutem, non alterius ergo, scilicet non secundum divitias, nec etiam ob nobilitatem: quare necessum est, ut deinceps quoque talibus conferatur, dirimentes virtuosos a vitiosis, primum ratione indolis & propensionis animi puerorum, & deinde ratione profectus puerorum & juvenum. Quod solummodo per educationem publicam & institutionem observari potest, ubi cives gravissimi huic præfecti curæ pederentim animadvertere possent virtutes alumnorum, quique ad virtutem omnibus viribus contenderent, quique mediocriter, quique ab ea discederent: ut ita meliores participes fierent honorum supremorum, medii, minoribus muniis præficerentur, & pravi ab omnibus excluderentur. Ita tradidit Plato (lib. 7. de Justo.) esse peragendum in sua Aristocratiâ, quam opinione sibi finxit. Etenim principio ad publicam insti-

insti-



institutionem admittit solum pueros excelsæ judicatos indolis: id enim illi est aureum esse, non argenteum, aut ferreum: deinde ut imperio admoveantur, vel ab eodem removeantur, hanc proponit regulam: *Quod igitur nuper dicebam, quærendum est, quinam constanter servant eam, quæ apud ipsos est sententiam; id videlicet semper agendum esse, quod reip. conducere arbitrantur. Observandi igitur sunt statim a pueritia, eaq; illis opera proponenda, ex quibus aliquis maxime præceptum illud oblivisci, falliq; possit: atq; is, qui servat illud memoriter, neq; decipitur, eligendus: qui contra abjiciendus.* (lib. 3. de Iusto sub finem.) Constituens dehinc quis eligendus sit ad munia majora, & ad præcipuos magistratus, ait: *His igitur animadversis, oportebit eos, qui apprimè tales in ipsis reperientur, stabiles in disciplinis, constantes in bello, in aliis legitimis officiis perseverantes, postquam annum trigesimum egerint, ex electis præelectos in majoribus honoribus constituere.* In perfecto itaque Optimatum statu, nec ex nobilitate, neque ob divitias oriretur communicatio reip. sed ex virtute jam acquisita, aut certa fiducia, quod acquireretur, perspecta a magistratibus publicæ disciplinæ curam habentibus. Sed quoniam ejusmodi resp. expecti magis queunt, quam usu haberi, ideo prudenter Aristoteles (lib. 4. pol. c. 7.) secundum præstantiam ingenii sui & scientiæ, progressus est ad exponendas Aristocratias, quæ in usu sunt, ejusque constituit species tres, quæ omnes conveniunt in hoc fundamento, quod virtutem respiciant, licet admisceant scopos alios, modo sequenti. Istarum alia respicit tria, divitias, virtutem & populum: hoc est procurat, ut in distribuenda rep. populo satisfiat, divitibus & virtuosis. Et hanc ille ponit primam speciem istarum minus perfectarum Aristocratiarum, ac talem ait fuisse rempub. Carthaginiensem, quæ quod tres istos scopos spectaverit, comprobatur ex eo, quod de illa Aristoteles retulit eodem lib. 2. politic. c. 9. Altera respicit solum virtutem & populum, ex iisque binis scopis remp. mixtam componit: hæcque secunda species est, dicitque Philosophus talem Spartanam esse remp. Tertia species ea est, quæ ex rep. in specie ita dicta ad Oligarchiam declinat. Hujus non affert exemplum Aristoteles, poterimus vero uti exemplo reip. Romanæ, sub initium regibus pulsæ: tum enim, licet electio magistratum & legum confirmatio esset penes comitia popularia, nihilominus reapse prævalebant in illis suffragia divitum, veluti fuse ostendit Dionys. Halicarnas. lib. 4. hist. Roman. exponens artificium in hoc Servii



Tullii Regis. Qui, cum populum divisisset in classes sex, secundum censum majorem & minorem: primam classem, quæ ex ditioribus constabat, partitus est in centurias octuaginta, adjungens his alias octodecim equitum: ita ut una sumptæ essent 98. Secundam, quæ secundi erat census, divisit in centurias 22. tertiam in 20. quartam in 22. quintam in 30. sextam, quæ ex pauperrimis constabat, unam solam constituit: ut in unum collectæ centum nonagintæ tres sint. Jam vota colligebantur, & numerabantur per centurias, ut quælibet centuria ferret votum, licet primæ numero longe essent inferiores sequentibus, & præcipuè ultima, quæ sola par erat numero classibus multis. Ut si classis prima concors esset, suffragia haberet 98. quæ, quoniam collectis ex omnibus centuriis superabant partem mediam, vicerant, quod essent concordēs, nec opus erat vocare ad vota alias classes, sed si discordes essent, vocabatur secunda classis, si que cum horum votis junctis primis colligerentur vota consona 97. quæ superabant mediam partem votorum, non ultro procedebat scrutinium: alias vocabantur ordine classes pauperiorum, quo usque vota minimum 97. consona haberentur. Quod sæpe per primam classem obtinebatur, & per secundam maximè, rarò quinta vocabatur, & fere nunquam sexta. Hanc ob rem resp. illa ad oligarchiam deflectebat. Sed præterea decisio in magistratibus curulibus solum penes patricos erat dicto tempore: ut postea, cum plebs prævaleret, tandem comitia ad curiata translata sint: & quantum ad tribunos & Ediles, ad tributa, omnesque magistratus curules etiam, & consulatus tractu temporis plebeis collatus fuit.

Tot itaque & tales sunt species Aristocratia, quæ existunt. Colligitur ex doctrina hac, quòd rectè dicta sit Aristocratia ista resp., in qua nobilitas imperium in manu habet: enimvero nobilitas præsumpta virtus est, ut innuit Aristoteles in politicis (lib. 2. c. 8.) cum ait: *esse verosimile, a melioribus meliores nasci, quòd nobilitas virtus sit progeniei.* Cum igitur nobilitati traditur imperium, virtus spectatur ex præsumpto, quod est, virtutibus esse deditam. Et alibi dicit Aristoteles, quòd nobilitas complectatur divitias, & virtutem, hisce verbis: *Nobilitas enim sunt antiquæ divitiæ & virtus.* (lib. 4. polit. c. 3.) Quare sequitur, quòd in ea rep. quæ a nobilibus regitur, virtus spectetur, minimum credita, eaque propter una sit ex Aristocratia quæ existunt: inter quas resp. Veneta admirabilis est, & dignissima nomine imperii Optimatum, tam ob allatam rationem, quòd parti-



participatio reip. solis detur nobilibus, & ideo iis, qui creduntur virtutibus præditi, quam quod in distributione magistratuum gravium communiter prævalet meritum personæ, qua de re differam infra paulo fusius, ubi sermo erit nobis de justitia distributiva. Subjungo jam id, quod observatum dignum est, quod constanter retineant officiorum memoriam & injuriarum reip. illatarum, ita quidem, ut nobilis fides remissa præjudicet plurimum suis cognatis ad capessendas dignitates publicas, ut merita majorum benevolum præbent aditum posteris: cujus sanè Zeli gratia, quousque ille firmus erit in eorum pectoribus, promittere sibi poterunt conservationem liberam & indubitata recte illius constituti imperii. Idque est distribuere honores secundum virtutem amoris publici, quæ ob ea, quæ tradidi in moralibus, superat justitiam generalem & legalem, in qua fundabat meritum civium Plato. Ut ita Veneti vel idem observent meritum in distribuendis magistratibus, quod Plato in Idea sua, rep. efficta constituit, vel adhuc præstantius meritum, virtutemque excellentiorem intuentur: cum æstimatur, respicere Venetos amorem erga remp. Platonem vero subsistere in legum observantia. Exoritur ex secunda specie Aristocratia modo allata dubium, cum non videatur, quod bini scopi populi scil. & virtutis soli satis sint ad constituendam Aristocratiam existentem, cum certum sit, Aristocratias, quæ dantur, differre a rep. scil. populari bona, secundum Aristotelem, cum dicit: *Sunt tamen quadam, quæ differentiam habeant a paucorum gubernatione, & appellantur Optimates, & ab ea, quæ vocatur resp.* at in rep. videtur, quod bini scopi dicti reperiantur, ille populi sine dubio, sed quoque ille virtutis, tam quod resp. bona sit, nec bonitas sine virtute, tam quod bellica virtus a deo illis cordi sit, ut ostensum est.

Ad quod dubium respondeo, ut primum proferam verba Aristotelis, quæ ibid. leguntur, & hæc sunt: *Καὶ ἐν αἷς εἰς τὰ δύο μόνον, οἷον ἡ Λακεδαιμονία εἰς ἀρετὴν καὶ τὴν δημοκρατίαν, καὶ ἐν ἑτέροις τῶν δύο τῶν ἄλλων, δημοκρατία καὶ ἡ ἀρετή.* hoc est, *Et in quibus ad duo duntaxat, cujusmodi est resp. Lacedæmoniorum, ad virtutem inquam & populi potestatem: & est mixtio duarum partium, status popularis & virtutis.* Quibus verbis conditiones bonæ continentur, ut formetur secunda Aristocratia species: una est, ut respiciat ad binas res dictas, altera est, ut sit resp. mixta. Quare non sufficiunt bini scopi, alter virtutis, alter populi, ad constituendam remp. Aristocraticam: sed insuper requiritur, binos dictos scopos ita esse contemperatos, ut remp. efficiant



mixtam, nec simplicis formæ esse sinant. Et ita solutum est contrarium argumentum. Ceterum quid sit mixta resp. & an detur, jam differam capite sequenti, tam occasione hujus, quam quod præter binas rerump. divisiones traditas, primùm in tres bonas & totidem pravas, deinde in Idea effectas & existentes, de hac tertia in simplices & mixtas jam differendum superfit.

*Derebusp. mixtis, Opinio Aristotelis, Platonis, Polybii, quod dentur. Hisque omnibus contraria Opinio Bodini, quod non dentur: hujusq. rationes.*

CAP. XXVI.

**A**ristoteles (lib. 4. pol. cap. 9.) præter resp. simplices agnoscit etiam mixtas resp. de iisque compendio duo tradit: unum modus est mixtionis, alterum signum mixtionis perfectæ. Quod ad modos itaque, tres ponit, qui omnes fluunt ex certo legum temperamento rerump. contrariarum popularis & paucorum. Primum temperamentum provenit ex unione ambarum legum. Exempli gratia, persolvit popularis pauperibus stipendium, quando ad judicia veniunt, nec poenam imponit divitibus absentibus a judicio: status paucorum ex adverso punit divites, a judicio absentes, & pauperes dimittit liberos, ubi nolunt ad judicia venire. Unio legum erit ambas ponere leges, hoc est, castigare divites, qui non interfunt judiciis, & præmia dare pauperibus, qui interfunt. Hic primus mixtionis modus est. Alter modus ex privatione oritur, scilicet cum nulla legum ponitur, nec popularis, nec Oligarchica: sed cum una inter eas media sancitur. Exempli gratia, popularis concedit participes fieri reip. quibus deest census, aut qui cum admodum exiguum habent: Oligarchia participes facit solum illos, quibus magnus census est: medium erit, permittere ut participes fiant, qui censum habent mediocrem. Tertius modus est, partem capere ex populari, partem ex Oligarchia, sicque ad temperiem deducere. V. G. Popularis sorte creat magistratus, non per



per electionem, conjiciendo nomina civium omnium in loculum, & postea identidem schedulas extrahendo, a quo magistratus gerendus sit: quem admodum olim Florentiæ Antistites eligebantur. Oligarchia per suffragia eligit. Popularis non postulat censum, at quidem Oligarchia. Jam si ex populari caperetur non curare censum, & ex Oligarchia electio, temperarentur leges unius, alteriusque; enimvero eatenus exploderetur lex ex populari rep. magistratus sorte eligere, & ex Oligarchia hæc, velle censum. Idque est quantum ad modos. Dehinc quantum ad signum perfectæ mixturæ, hanc dat Aristoteles regulam, quod bene erit peracta, quando resp. ab his habebitur Oligarchia, ab illis status popularis, scilicet ut ita ansam præbeat, ut habeatur & hæc & illa, simulque non habeatur nec ista nec illa. Affert in medium rep. Spartanam, quæ a quibusd. credebatur popularis, nam multæ constitutiones ibi erant populares: liberi pauperum & divitum eodem modo cura publica educabantur: & adultiores unius alteriusque ordinis eodem modo vestiebantur, comedebantque ejusdem generis cibos in publicis conviviis. Præterea bini magistratus ampli erant in ista rep. Senatus, qui constabat ex 28. nobilibus, & Ephori, quorum quinque erant. Hi populares erant, non nobiles: & Senatores, licet solum ex nobilibus crearentur, eligebantur tamen a populo. Quibus perpensis colligebatur popularem esse. Ex adverso creari magistratus omnes per electionem, nullum sorte, & esse in manu paucorum jus vitæ & necis, exiliique multa, causæ erant, quod multi illam putarent statum paucorum.

Polybius lib. histor. 6. præfert mixtam rep. simplicibus: & Romanam rep. vult perfectissimè mixtam fuisse ex regia, Aristocratica & populari: & regie partem penes consules fuisse, quorum auctoritatem, dignitatemque describit: Aristocraticæ, apud Senatum, quorum recensens potentiam, ostendit tantam fuisse, ut reges principesque illo tempore crederent illam rep. purè Aristocraticam: Popularis tandem apud populum, & comitia popularia, in quibus solis confirmabantur, & habebantur ratæ leges, ad mortem damnabantur cives Romani, pacis & belli sententia capiebatur.

Plato quoque rep. Laconicam mixtam habuit, & rectè mixtam: prætulitque mixtas resp. simplicibus, quarto de legibus: ut in lib. de rep. regno absoluto primatum concedit.

CAR.



CARDINALIS CONTARENUS consentiens quoque dari mixtas resp. & putans præstantissimam talem formam, ostendere nititur, Venetam ex mixtione oriri, ita quidem, ut regnum referat Dux, Aristocratiam Senatus, & popularem resp. concilium magnum.

JOANNES BODINUS (*lib. 2. cap. 2. de rep.*) tot gravissimis se opponit viris, contenditque nullam posse dari resp. mixtam, declarans deceptos esse contrarium sentientes, cum primisque Aristotelem. Aitque, doctorum Philosopherum, prudentiumque virorum erroris causam extitisse, quod regimen a statu non, distinxerint: quam distinctionem a se observatam esse primum profiteretur. Itaque ille ait, quod conjungi possit cum quâdam forma status alia diversa imperandi forma, sed quod unus reipubl. status se misceat alteri status formæ in eadem rep. id existimat non fieri posse. Explicat se quibusdam exemplis, ex quibus satis erit afferre illud de regio statu. Ait itaque, si Rex distribuet omnibus civibus divitibus & pauperibus munia, officiaque, erit regius status, at gubernatio popularis: quod si nobilibus solum & divitibus impertiet magistratus, gubernatio erit Aristocratica & regius status. Quod deinde attinet ad sententiam suam, quod nullus status permisceri cum alio possit statu, unico demonstrat argumento, si sequimur rei summam, estque, quod majestas, (vocamus nos supremam potestatem,) per se ipsa est individua, ideoque in civitate eadem, eodemque tempore non potest communicari pluribus ordinibus, v. g. regi, senatui, & populo. Probat postea summam potestatem non esse dividuam, præterquam quod dicit demonstrasse superius cap. de auctoritate legumlatoria, quam ait non posse dividi: atamen ego largius incedens, argumenta ipsius distinguam tanquam rationes diversas. Est itaque argumentum primum, summa potestas individua est, & ut ait ipse, quoddam individuum, quare eod. momento non potest communicari uni, h. e. regi, & omnibus, hoc est, populo, itaque resp. non potest admittere mixtionem. Argumentum integrum esset hoc:

*Si resp. pateretur mixtionem, hoc est, ex regio, Aristocratico & populari, Summa potestas eodem tempore inter plures divideretur, scilicet ut ejus partem caperet Senatus, partem Rex, partem populus:*

*At summa potestas individua est:*

*Quare nec resp. mixtionem non patietur.*

Assumptum probat: quod jam ostenderit summam potestatem esse individuum, Alte-



Alterum argumentum est: quoniam præcipuum caput summæ potestatis est leges dare civibus, tam omnibus quam singulis. At illa potestas non potest attribui eodem tempore pluribus, hoc est, regi, populo, & Senatui: ergo nec mixta resp. datur. Quod non possit pluribus simul tribui ejusmodi potestas, probatur: nam aut vicissim obtemperabit pars una alterius legibus, aut non obediet, ut magis vero est simile. Quis enim sponte obediet, pari pollens potestate? si non, imperium erit sine capite, neque resp. quando non erit, qui pareat, aut imperet. Si una pars sponte leges ab alia accipiet, qui imperium audient, majestatem amittent: præterea dum pars una alterius imperium fert, quis frenabit imperantem, ut non tollat lege ab altera majestatem, & in se omnem transferat?

Tertium argumentum est: si concedetur facultas populo condendi legem, creandique magistratus, aliaque negotia committentur Magistratibus, sive Senatui, confiteri oportebit, statum esse popularem: cum potestas Senatui concessa & Magistratui tolli possit ad populi libitum.

*Quod mixta detur Respublica, ejus veritatis fundamentum affertur.*

CAP. XXVII.

**E**terum infirma sunt & erronea Bodini argumenta: & opinio adversa non modo ob auctoritatem tot gravissimorum Philosophorum meretur recipi, sed & ob veritatem quoque quam continet. Fundamentum idem est, quod pro se affert, sed male Bodinus de summa potestate, quam ille individuum ponit, est vero variis modis dividua, ut jam fuse demonstrabitur. Affero itaque, esse summam potestatem dividuam, non tantum propter plurimas actiones ad illam pertinentes, sed quoque ob actionum gradus, qui ad eandem requiruntur actionem. Jureconsulti plurima ponunt capita Imperii meri: jus vitæ & necis, auctoritatem ferendarum legum, aliaque similia. Sed si ex principiis politicis rem altius perpendamus, supremam potestatem hoc pacto distinguere oportet. Tres sunt partes prudentiæ politicæ & civilis, quam divisionem habemus

L

apud



apud Aristotelem in Ethicis, (lib. 6. cap. 8.) una est Legislatoria, dicta architectonica: altera est Consultatoria, quæ versatur in publicis deliberationibus, de pace facienda, & bello inferendo, de nummis colligendis, & similibus aliis: tertia Judicialis est, cui tertiæ parti inhæret exercitium justitiæ commutativæ, & pars distributiæ, quantum ad judicia criminalia in ea parte, quatenus pœna spectat ad utile publicum, qua de re infra sermo erit. Interea seligo ex omnibus his partibus quatuor res solas, quod tot satis erunt, ad detegendam susceptam veritatem. Prima est legum sanctio: secunda electio absoluta belli & pacis: tertia judicium criminale & capitis in subditos: quartum judicium civile. Quæ actiones duobus modis peragi possunt, vel quod confirmatione alterius non indigeant, neque possint ab alia potestate superiori revocari, & tolli, aut vero abrogari possunt & rescindi. Primo modo exercitæ actiones sunt supremæ potestatis, secundo modo minime. In civili judicio, de qua judicis sententia non licet provocare, actio est supremæ potestatis: supra cujus vero sententia lata majoris licet implorare auxilium, non est summæ potestatis actus. Sententia necis, quam alia potestas mitigare, vel planè tollere potest, non ex summa provenit potestate. Illa vero quam potestas tulit, de qua ad alteram provocare non licet, neque per justitiæ, neque per gratiæ modum, summæ est potestatis. Deliberatio de bello gerendo, cui opus est confirmatione alterius magistratus, vel conventus, non summæ potestatis est. Senatus Romanus de bello inferendo consultabat primo modo: at populus secundo. Itaque in definiendo bello Macedonico adversus Philippum, finiit Consul Sulpicius apud Livium suum sermonem ad populum: *Quæ patres censuerunt, vos jubete. lib. 31.* Leges spectantes ad civitatem ipsam de rebus relictis communitatum curæ, imperio ecclesiastico subjectarum, a conciliis publicis ferri possunt, at opus habent confirmatione Pontificis, vel Legati a Latere: & ejusmodi legum sanctio non est summæ potestatis, sed libera & absoluta constitutio majestatis est, interque actiones majestatis prima, ut bene inquit Bartolus ad legem *Imperium. ff. de jurisdic.* ubi auctoritatem talem caput ponit primum & supremum meri Imperii, præferens etiam potestati damnandi capite. Hoc pacto itaque designavimus, præter plurimas quæ omittuntur, quatuor partes majestatis inter se diversas. Sed hæ quoque subdividuntur: nam leges aliæ spectant ad formam reip. aliæ ad civilia judicia, aliæ ad criminalia, aliæ ad victum & splendorem civitatis, & sanitatem,

tatem,



tatem, aliæ ad educationem & disciplinam, & aliæ ad res alias. Ita quidem ut cum illæ dividuntur, & quælibet partes referuntur ad potentiam, nemini nisi illi addictam, quæ illas fert, iterum erunt in legum latione variæ potestates summa. Explico me. Ponatur, legum publicarum lationem de forma reip. esse purè penes magnum Concilium Venetiis; legum de pœnis læsæ majestatis esse penes Concilium Decemvirum, & legum aliarum de pœnis criminalibus esse penes quadraginta judices civiles: ut ita leges cujusvis Magistratus, non dependeant ab alijs, aut Senatu, ut verè in eo confirmantur, & vim perfectam obtinent: hæc foret divisio majestatis nova. Judicium quoque capitis pro ratione variorum delictorum a varijs potest summis potestatibus haberi, vid. ab alia delictum in statum, ab alia delictum in privatos potest cognosci: Venetiis concilium decemvirum judicat absolutè de delictis adversus statum. Romæ Senatus statuebat absolutè de Italis & provincialibus, at de Romanis civibus populus ipse. Quare ad ferendam de Campanis sententiam, quod cives essent Romani, opus erat auctoritate populi, cum Senatus tantum non sufficeret. Ita M. Attilius Regulus opus esse censebat, & a Senatu populi voluntas quæsitæ est, quem L. Attilius Tribunus plebis rogavit, fuitque plebiscitum: *Quod Senatus juratus maximæ pars censeat, qui assidetis id volumus jubemus*, Liv. l. 26. c. 23. Hæc est distinctio majestatis respectu varietatis actionum diversarum. Distinctio altera est respectu graduum operationum tendentium ad actionem eandem. v.g. In electione superiorum opus primum est oblatione, deinde suffragiis. Si oblatio spectet ad unum tantum ordinem v.g. Senatorium & Consularem, & electio sit penes populum, majestas divisa erit, cum pars una alteram cogere non possit. Eam cernimus fuisse auctoritatem Interregis & Dictatoris in Comitibus consularibus excludendi a petitione consulatus ordinem, quem nollent, cumque magistratus esset Patricius, idem cupiebat, quod Senatus. Hinc scribit Livius, cum tandem decerneret Senatus, morem se gesturos petitioni plebis, eligendo Consularem plebejum, Scipionem Interregem jussit, ut etiam Plebejum fieret nominari ad Consulatum: innuens esse penes Dictatores illius arbitrium, non admittere, ut Plebejorum haberetur ratio. Verba ipsa sunt: *Quorum tædio patres L. Cornel. Scipionem Interregem concordie causa observare legem Liciniam comitiis consularibus jussere.* Liv. lib. 7. Cum itaque tanta sit varietas, & distinctio majestatis, si omnis majestas uni alligata



gata est ordini, v. g. Si unus omni potitur majestate, illeque super omnibus publicis deliberationibus & judiciis compellendus est, nec ab illo ad ordinem alium provocare conceditur, regnum erit absolutum, & resp. eapropter simplex. Ita si alibi Senatus possideret omnes partes majestatis expositas, esset Aristocratia: si ex adverso penes populum essent eadem majestatis partes, existeret popularis. Ejusmodi olim reperiebatur Athenis: enimvero populus statuebat de omnibus, censebat omnes sententias, & deliberata aliorum magistratum & Senatus, nec propositionem, de quibus vellet agere, ullus poterat impedire. At in nonnullis rebusp. dictæ res partesque non unius sunt ordinis, sed aliæ ad alios spectant, scilicet pars ad populum, pars ad senatum, & alicubi pars ad regem. Hæ itaque resp. non erunt simplices, sed mixtæ, aut ex duabus, aut tribus, secundum ac majestas erit divisa. Argumentum itaque erit tale:

*Si majestas, in qua vis reipubl. sita est, in seipsa dividua est, potestq; collocari non in uno tantum ordine, sed inter plures dividi, præter resp. simplicem etiam dabitur mixta:*

*At majestas est dividua in seipsam, & potest dividi inter varios ordines, non ad unum tantum restringi:*

*Ergo dabitur non simplex tantum resp. sed & mixta.*

Consequentia patet, & adversarius concedit eam. Assumptum probatum est, quantum ad divisionem majestatis in se, quantumque ad ejusdem usum. Dictum quoque non nihil est de Rep. Romana, jamque addi potest, quod in rebus militaribus Consul summum habebat imperium, idq; omnes fatentur: & Cicero etiam exprimit in suis legibus. *Militia ab eo, qui imperabit, provocatio ne esto, quodq; is, qui bellum gereret, imperasset, jus, ratumq; esto.* Senatus gaudebat rerum plurimarum absoluta auctoritate, quibus se non admiscebat populus: ex adverso ea, quæ agebat populus, nemo volebat revocare, & ad eum a cæteris magistratibus provocatio mittebatur, jam a temporibus Publicolæ, ut est apud Livium, ab eo vero ad alium magistratum sive collegium nulla provocatio concedebatur. In Venetorum rep. concilium decemvirum magna præditum est auctoritate, quæ a nullo alio dependet, hoc est, a sententiis latis non licet provocare ad senatum aut concilium magnum. Senatus in legibus quibusdam ferendis spectantibus ad arbitrium pacis & belli non subjacet Concilio magno: ita ut appareat, partes majestatis pluribus applicari posse, nec opus

pus



pus esse, ut attribuatür tota ordini uni, ut fit in rebus publ. ideò dictis simplicibus: ex quibus rex absolutus majestatem habet in se collectam eo modo, ut omnes magistratum functiones, & præfectorum regni, omnisque eorum auctoritas ex illo, ut fonte, promanent, atque rescindi & tolli ad ejusdem arbitrium possint. Superest, ut argumentis Bodini respondeamus, quorum solutione expeditior etiam fiet exposita veritas, tollentes hinc dubia, quæ suspensos reddere lectorum valent animos.

### Solvuntur argumenta Bodini.

#### CAP. XXVIII.

**R**imum Bodini argumentum per ea, quæ dicta sunt, jam solutum est: nam ostensum est, fundamentum falsum esse, cui innititur, quod majestas individua sit, sumpta pro summa potestate, quæ cum accipitur pro honore, qui supremam principatus consequitur potestatem, nec forma est, nec essentia reip. Ipsa quoque variè reperitur in rebusp. enimvero in simplicibus uni ordini tota addicta est, sive etiam uni personæ, ut in regia rep, at in mixtis divisa est.

Ad alterum argumentum respondeo, quod legumlatio eodem tempore attribuitur diversis ordinibus supra res varias: quemadmodum, quæ ad formam spectabunt reip. magni erunt concilii, cuius minimum erit eas confirmare. Ad Rogatos & Senatum aliæ leges plurimæ: nam magistratus, ad quos pertinent, sanciunt illas, & Senatus ratas habet, nec dein indigent, ut denuo confirmentur a magno Concilio. Exempli gratia, annis elapsis magistratus præpositus moderando luxui legem tulit, & sumptus & luxum coercuit, atque a Senatu comprobata post illa fuit, & ut observaretur jussum, uti etiam adhuc perdurat. Respondeo præterea, quod ad legem eandem faciendam multi admitti possunt, ut quilibet suum huc conferat, ab alio non dependens, prout munere fungitur. V. G. Si Senatus consultandi munus obtineret, an lex quæpiam proponenda esset, an secus, & illa, quæ a Senatu comprobata non esset, haud proponi posset; ex altera parte oblatio solius esset Principis, inque illius esset potestate etiam non illud proponere, quod Senatus censuisset proponendum esse, comprobatio

L 3.

dein



dein legis penes populum tantum esset, sic omnes tres ordines cum potestate summa functionum suarum convenirent ad faciendam legem. Et percontata inconcinna doctrinae Bodini: nemo amitteret summam potestatem in suis functionibus, nec in arbitrio foret unius illorum ordinum leges condere, sine libera accessione sententiarum ceterorum ordinum. Populus cogi non potest, ut legem faciat, quae ipsi non arrideat, est enim in illius potestate approbare illam, aut rejicere: non tamen & ad libitum suum legem condere potest, opus enim est, ut a Rege ipsi proposita sit, quod nec fieri potest adversus voluntatem Senatus: quoniam nec sanciri potest, nec proponi, antequam comprobata sit a Senatu. In Romana rep. principio leges statuebantur in Comitibus centuriatis, quibus praerat Consul, vel Patritius Magistratus: & res, quae populo proponebat, ante erant in Senatu pertractatae, liberè haud coacte: ita, ut ad faciendas leges convenirent & Senatus & populus, neuter alteri addictus, opus tamen erat utriusque consensu, ut stabiliri posset lex. Et quod inde sequitur, pars una alteram refrenabat, cum una invita altera agere haud quidquam valeret.

Tertium etiam argumentum ex dictis dissolvitur. Falsum est auctoritatem Senatus ceterisque magistratibus relictam, a populo traditam esse, ad ejusdemque placitum adimi posse. Enimvero, si sermo est de partibus supremæ potestatis, illa quae ad Senatum spectat, velut, exempli gratia, in Italos & provinciales Romæ, aut ad Consules, velut in milites, resque militares, ejusmodi res non ex indultu erant populi, sed ex essentiali forma reip. & functionibus fundamentalibus ejusdem. Quod si postea nonnunquam prævaleret populus, ita ut appareret transtulisse in se rem omnem, aliquando nobiles, ut tempore Gracchorum ad Marii usque tempora, qui primus post multum temporis ex novis hominibus Consulatum obtinuit: hæc res ad mutationes rerum pertinet, quæ non modo amittunt mixtionis gradus, sed aliquando ex una simplici in contrariam transeunt formam, velut ex populari in tyrannidem.

Jam sermo hic est de constitutione legitimæ reip., quæ in nonnullis rebusp. majestatem omnem uni concedit personæ, veluti in Monarchia: aut ordini uni, ut in populari, & in Aristocrazia, & Oligarchia, constituitque tali pacto simplices resp. in aliis partes majestatis variis distribuit ordinibus, sicque format resp. mixtas. Quas propter talem distributionem Pla-

to re-



to respectu simplicium temperatas censuit, sicque veras resp. Ita enim introducit Atheniensem hospitem respondentem Megillo Laconico, & Clinia Cretensi de rep. ipforum, ab iisdem allata, tanquam varias formas rerump. complectente. Verba hospitis Atheniensis sunt: *Vere enim O viri optimi reip. participes vos estis: quæ autem modo nominatæ sunt, non resp. sed urbium habitationes quædam sunt, in quibus pars una servit alteri dominantis, & a partis dominantis potentia tota nomen accipit gubernatio.* lib. de legib. Ita dissoluta sint argumenta Bodini. Fab. Albergatus etiam iis respondet, sed aliter non nihil, ut contingit, cum a diversis idem dissolvitur argumentum, nitentibus variis hypothesibus: nihilominus credo ivisse me obviam fundamento, & causis vanitatum argumentorum Bodini.

Dehinc quoad illud, quod ipse ait Bodinus, ante se neminem cognovisse differentiam inter statum & regimen, & ideo deceptos esse Aristotelem ceterosque missionem ponentes, monstrat minus diligenter inspexisse Aristotelem: cum hæc dixerit verba lib. 4. polit. c. 5. *Nec latere nos debet, quod multis locis accidit, Remp. quæ secundum leges non sit popularis, more tamen & gestione populariter gubernari. Similiter autem è converso apud alios contingit, Remp. secundum leges esse popularem, more tamen & gestione ad Oligarchiam magis referri.* Manifestum itaque est, scivisse Aristotelem statum civitatis esse posse alium & formam reip. aliud regimen & administrationem. Ubi moneo præterea regimen accipi in actu primo & secundo: hoc est, pro forma reip. in qua significatione idem est cum rep. & statu, & pro administratione reip. & regiminis actu existentis, & sic a statu differre potest. Nam status & resp. per leges constituitur, & regimen hoc modo fit per administrationem & usum, quæ a legibus differre potest, cum sæpenumero usu veniat, leges non observari: præter illius occasiones, de quibus Aristoteles monuit loco modo adducto.

*Quænam, & quot sint conditiones  
reip. justæ.*

#### C A P. XXIX.

**P**Osteaquam vidimus varias bonarum rerump. formas, tam simplices, quam mixtas, superest perpendendum, an ex bonis formis una tantum valeat,



valeat, ut resp. fiat iusta, quantum ad illius constitutionem, an vero alia conditiones requirantur. Ego, gratia brevitatis, confidenter respondeo, quod binæ alia exigantur, præter formæ bonitatem, ob quas resp. recte sit constituta, & formata: una est, ut in civitate, in qua forma bona inducitur, subditi apti sint ad ferendam ejusmodi formam: alia est, ut idoneæ personæ sint ad regendum secundum eandem formam. V. G. forma regia optima est, nihilominus ut civitas illa rectè formetur, exigitur, ut illius civitatis cives idonei sint & proni ad regium imperium: & præterea requiritur, ut persona sit capax regiae majestatis, & idonea ad regium exercendum imperium. Aliàs, si in civitate, cujus populus propensus sit, & aptus ad liberum imperium, & sic ad remp. popularem, regnum instituat, ibi quidem forma statuetur bona, at non erit iusta electio, & ob exiguam convenientiam formæ cum subjecto, violentum evadet imperium. Id agnovit Aristoteles, ejusque nos admonuit. Et principio, quod considerandum sit, quis populus, quod imperium ferre possit: quare *cap. ult. 3. politic.* ita scribit, (convertito verba ex græco,) *Primum autem definiendum, quod sit genus hominum regno, quod optimatibus, quod reipubl. aptum.*


Est itaque apta, quæ regiè gubernetur, hæc multitudo, cui a natura datum est, ut ferre possit familiam virtute præstantem, quæ illam civiliter regat: ubi advertendum est, quod civiliter regere hic, imperio herili oppositum est, ut Latine dicitur, & si Græcè, despotico, ut servos regit paterfamilias. Et ab Optimatibus aptus est regi populus, cui a natura datum est, ut ferat imperium hominum, qui sunt apti per virtutem, ut civili imperio regant illam. Ad remp. apta est ea multitudo, quæ natura propendet ad parandam sibi multitudinem bellicosam, quæ apta sit regi, & regere secundum leges, quæ pauperibus magistratus committit ipsis convenientes. Propter hanc propensionis & aptitudinis causam, contingit nonnunquam, quod etiam si regnum & Aristocratia resp. meliores sint, quam popularis status, nihilominus præstet formam popularem bonam instituere, quam aliam harum binarum. Ita scitè loquitur Aristoteles: *Quia multoties alia reip. forma eligibiliore existente, nihil vetat, aliam quibusdam magis utilem esse. lib. 4. politic. c. 11.* Una itaque conditionum, quæ requiruntur ad æquitatem formæ status est, ut populus aptus sit, ut regatur ea reip. forma, quam introducere animus est: altera conditio, ut reperiatur, qui valeat imperium administrare secundum eandem formam; hoc est, si forma  
regia



regia introducenda est, non solum multitudo esse debet apta ad ferendum ejusmodi imperium, sed persona quoque adesse debet talis, aut familia, ob virtutem ejus imperii capax. Quare Aristot. postquam dixerat considerandum esse, an multitudo apta sit ad imperium regium, addit, quod ad instituendum rectè regnum, & regem, opus sit, aut ut ibi familia reperiatur, aut persona, cujus virtus adeo excellens sit, ut superet illius sola virtutem alicrū omnium. Ita si introducenda sit forma Aristocratica, exiguntur, præter multitudinem aptam ad imperium istud, viri ob virtutem idonei ad regendum secundum illam regiminis formam. Sit itaque conclusio. Quod ad constituendam formam reip. planè justam in civitate, tres requirantur conditiones: Ut forma ex bonis sit, sive simplicib. sive mistis: secundò ut multitudo apta sit regi secundum illam reip. formam: tertio ut persona sit ibi idonea ad imperandum secundum eand. reip. formam.

*Quando non concurrunt propensio naturalis  
ad parendum, & habilitas ejus, qui regere  
debebat.*

## C A P. XXX.

 Eterum si conspirent binæ conditiones ex tribus, & una desit, quid agendum erit, ut reficiatur forma justa in ejusmodi deformitate? V. G. sit multitudo apta ut a rege regatur, quæ ex speciebus bonarum rerum. una est, sed desit subjectum idoneum majestatis regiae: vel sit subjectum dignitatis capax, at desit multitudo apta ut regi regatur, sed sit, exempli gratia, magis propensa regi imperio alterno, quaeritur in eo quid sit agendum casu: quoniam difficultates insignes, adversus unam & alteram partem ab Aristotele tactæ sunt, & allata libro 3. pol. cap. ultimo. Velle expectere, ut homo tam eminentis virtutis teneatur vicissim imperare & parere, videtur nimis esse absurdum, cum in exilium mittere, aut neci tradere, nimis aperta injuria: verba Arist. sunt. *Neq; interficere, neque in exilium agere, neque relegare virum hunc decet, neque ab eo postulare, ut per vices gubernet: neque enim natura fit, ut pars superet totum, habenti v.*

M

tantam



*tantam excellentiam hoc accidit.* Qua de causa Ostracismi remedium mittendi in exilium homines præstantes, ne præstantia sua æqualitati in rep. observandæ obesse videantur, haud apparet quod locum habeat, ubi quisquam virtute longe præcellit ceteros. Sed ab altera parte, si populus non est aptus regi imperio regio, violentum erit formam illi dare regiam, quæ non eidem quadret. Ideoq; etiam ibidem regni institutio injusta erit, quod illi desit una conditionum requisitarum ad formæ justitiam, scilicet quæ erat propensio populi, velle regi ejusmodi imperio. Quid itaque erit dicendum? Videtur quod tantæ virtutis homo Rex creandus sit secundum Aristot. loco paulo ante citato: etenim verbis traditis ibidem subjungit: *Quapropter restat solum, ut hujusmodi viro obtemperetur: summamque ille potestatem habeat in civitate non mutatis civibus, verum simpliciter.* Nihilominus, quoniam Aristot. ibidem loquitur, ut persistat strictè in illis ante dictis, quæ præsupponunt aptitudinem populi ad formam regiminis, ideo non vere in casu nostro quidquã inferunt. Quare ut dubitatio præsens dissolvatur, considerandum primò erit, quod illa locum non inveniatur in rep. in speciè ita dicta, quod scil. populus propensus sit subesse imperio alij bono, sed quod in eo existant propensiones, velle se regi per regimen reip: enimvero, plerumque ijdem, dum apti erunt ad imperandum, etiam cum in illa rep. ijdem sint cives, qui reguntur, & vicissim imperant, vel simul eam animi præstantiam obtinebunt, quæ secundum Aristot. ad imperandum illos disponit, & ad parendum vicissim, non autem quod perpetuò regi velint: & eapropter solum apti sunt, ut se subdant soli reip. non regio, vel Aristocratico imperio. Dubium itaque hoc solum est, si multitudo apta sit, ut regatur populariter, at in ea vero ob excellentiam virtutis quispiam reperiat ad imperandum regiè idoneus, aut plures ad regendum Aristocratice: & ex adverso sit multitudo apta regi imperio regio, sed desit persona quæ sita præstantiæ ad tale imperium? Idem dictum puta de Aristocratia.

Ego ad dubium hoc ita responderem: cum nobis incumbat in proposito casu quærere non justitiam omnibus numeris absolutam, sed remissam, ita tamen ut ea prævaleat, tres exorientur conclusiones. Prima est, si excessus virtutis eminentis, & aptitudo ad regiè regendum superet secundum proportionem multitudinis aptitudinem, propter quam regi vult populariter, præferenda erit regia forma reip. etenim sic jam erit justitia penes partem potiorem. Altera conclusio, si in suo genere aptitudo populi velle regi populariter excedat tantum, quantum penes personam præstantem  
 aptitu.



aptitudo regendi regie, sanè regia forma erit præferenda. Ratio est, quoniam in paritate contrariorum momentorum, finis communis felicitatis militat pro forma regia. Enimvero Rex virtutis excellentis & prudentiæ sciet temperare ferociam animorum, illosquè se fortitudine amiciendo una cum aliis moderari virtutibus & placare animorum magnimitatem istorum subditorum, ut illis conferat munia ipsorum virtutibus digna, etiam rectius quam in comitiis fieret. Præterea nec etiam inconcinnum foret; Regem tolerare in non nullis electionibus comitia, ut Romani reges ad ultimum usque fecerunt. Etiam Augustus comitia haberi sinebat, quæ ad Senatum Tiberius post illa transtulit, ut narrat Tacitus lib. 1. annal. *Tum primum è campo comitia ad Patres translata sunt. Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quedam tamen studio Tribuum fiebant.* Sic dehinc tertia conclusio. Si nimia sit propensio populi ad regimen reip. nec aptitudo ad regendum regiè adeo eminens, melius erit formam reip. introducere: enimvero, si præstantia prudentiæ & virtutis non tanta foret, ut præstringeret, ut ita dicam, splendore regalis dignitatis populi Judicium de suo ipsius valore, tum propensione ad imperandum vicissim, quam parendum perpetuò, periculum afferret turbati imperii, & potius violenti, quod repugnaret fini felicitatis communis. Ita quidè ut in hoc casu Justitiæ finis ex parte formæ reip. staret. Ceterum si populus proclivis esset ad imperium regium, nec inter suos haberet, qui rex esse mereretur, quodnã tum foret imperium justum? Hic opus est distinctione: aut enim quod nemo mereatur rex esse, provenit, quod plures æque digni sint, nec ideo æquum, unum eorum perpetuo imperare ceteris: in eoque casu, si quæ, vel quasi æque aptierunt plures, locus erit Optimatum imperio, vel regio vicino. Quam vicinitatem Aristoteles significavit: *Cum vero tres dixerimus esse rectas gubernandi species, harum v. necessarium sit, eam esse optimam, quæ ab optimo gubernetur, talis autem est in qua contingit, aut unum aliquem omnium, aut genus totum (quæ est resp. regia) aut multitudinem virtute præstantem, (quæ illa est optimatum) gubernare eos, qui gubernari valent ad eam vitam, quæ sit maxime expetenda lib. 3. pol. cap. ult.* At si pauci essent digni, ut contigit septem præstantibus Persis, qui Persicum imperium à fraudibus Magorum liberarunt, exemplum allatum ostendit, quid in tali casu agendum foret. Ad sortem illi vocarunt quis rex esset constituendus, cum mutuo sibi cederent primatum dignitatis, si sortem ad ver-



ſam experirentur: quippe erat conſtitutum eum regem futurum, cujus equus, conductis omnibus ſub ſolis ortum ante regiam domum, primum hinniret, *Juſtin. lib. 1. hiſt.* Quod ſi nullus mereretur ſaſtigium regale, tum opus foret externum eligere regem, ut ſit apud Polonos: quamvis illi fortè potius ob paritatem dignitatis plurimum ſuæ gentis, quam ineptitudinem omnium hoc obſervant.

*Propenſio naturalis populi quod ſubefſe huic  
vel illi imperio velit, unde ſit.*

C A P. XXXI.

**C**eterum propenſio parendi certo cuidam imperio, quod dictum eſt requiri ad rectam conſtitutionem ejusdem imperii, exponendum erit, qua in re conſiſtat, & unde proveniat, ut queat cognofci, poſſitque præceptum quoque utiliter ad uſum deduci. Mihi itaque videtur, quod poſſit commode ad illud, de quo nunc agitur, quod nõ exigit ſubtilitatem methaphyſicam, nec ſcholasticam, dici, ſimilem propenſionem provenire aut à natura, aut ab uſu, aut à quodam accidente. De naturali primum diſſeremus. Ariſtot. tres ponit ſpecies gentium ex conſtitutione naturali: (lib. 7. pol. c. 7.) una quibus ſatis animi eſt, at ingenio non exculti ſunt, quales Europeos ait eſſe, & incolæ locorum frigidorum, verba hæc ſunt: *Nam quæ frigidas regiones incolunt gentes, & quæ Europam, animo quidem abundant, ingenii autem & artiſparum habent.* Et ſummatim ſignificat regiones ſeptentrionales ſecundum communem & veram expoſitionem. Huic conſtitutioni attribuit propenſionem vivendi in libertate, at ſcientiam exiguam adminiſtrationis civilis hiſce verbis: *Quæ propter in libertate magis perſe- rant, diſciplinam autem reip. difficile recipiunt, ac ſinitimis dominari non poſſunt.* Altera conſtitutio eorum eſt, quibus animus de eſt, ingenio vero abundant: tales ait eſſe Aſiaticos, quibus ideo attribuit aptitudinem parendi, & ſerviendi æternum. *Quæ vero, inquit, Aſiam incolunt, ingenio & arte abundant, ſed animo ſitatem non habent, propter quod & parere dominantibus, & ſervire perſe- rant.* At mens Ariſt. in Græco melius exprimitur, ubi loco verborum, *parere dominantibus, & ſervire perſe- rant,* legimus ἀρχόμενα



καὶ δουλεύοντα διατελεῖ: ubi vox δουλεύοντα significat servitutem, & respondet dominio despotico, quod correlata sint δούλος & δεσπότης, quarum vocum illa servum & mancipium exprimit, & hæc dominum. Tertia constitutio eorum est, qui animo & ingenio abundant, & illi cupiunt vivere in libertate, ut primi, at præditi insigni cognitione & peritia administrationum civilium, qua peritia primi destituuntur. Tales facit Græcos: *Genus autem Græcorum, quemadmodum situm est in medio horum locorum, sic communicat ambabus illis naturis: nam & animo præditum est, & ingenio valet. Quare liberum permanet, atque optimè remp. administrat.* Ex hac distinctione, hisque Aristotelis verbis videtur, quod colligatur, quod animo abundare, reddat homines alienos a regio imperio, & quod illi, quibus cum desit animus, satis ingenii sit, apti sint regio subesse imperio. At non verè est hæc ibi mens Aristotelis, qui loco eo investigat, qualis esse debeat civis, ut instituat ad perfectam rempublicam: finitque quod duabus debeat esse præditus virtutibus, a se descriptis, una, ut animo excelso sit, altera ingenio præstanti: ex quibus duabus virtutibus unitis habilitas provenit desiderata in cive optimæ reip. ut parere possit, & imperare. *Præclari civis virtus est, posse præesse, & subesse laudabiliter.* lib. 3. pol. cap. 4. Certum est, quod ex magnanimitate dependeat potius instinctus, nolle alteri servi in morem esse subiectum, ad quam subjectionem servilem disponit animus abjectus secundum Aristotelem. Sed subiectio servilis, ut est dictum, recipit herile imperium, quod legitime est inter Dominum & servum, at iniquè in civili imperio versatur inter tyrannum & subditos: quo imperii genere imperant hodie in Asia Sinarum Rex itemque reges Siam, Narvingæ, Reggor, & in universum omnes, excepto Persa. At vero contrarium usu venit apud populos Septentrionales, & animo valentes: nam regnum Franciæ, & Angliæ, & Imperator, cæteri que Germaniæ principes regimine mitiori magisque politico utuntur. Et Polonia quasi resp. mista est ex regno & Aristocratiâ: Hispania etiam ita maximè regitur in Biscaya, Catalonia, & Arragonia. In inferiori Germania sive regionibus inferioribus, quoties principes nisi sunt imperio severiore subditos regere, semper concitarunt tumultus vehementes, eoque etiam, ut in carcerem coniecerint Maximilianum Austriacum suum dominum, velut maritum dominæ ipsorum, filiæ Caroli Audacis. Et atroces agendi modi Ducis Albani, forte ex sententia Concilii Hispanici, origo fuit illius rebellionis, quæ etiamnum durat: cum fortassis satis turbæ sedatæ essent



essent a Domina Margareta reatrice, ante illius adventum, si Hispanis placuisset imperium accommodare ad ingenium illius Nationis, naturali instinctu cupientis potius liberè regi, ob numerum populi existentem ex infinitis opificibus, qui ibi reperiuntur, quam velle severæ subesse Monarchiæ. Exitus rerum Batavicarum & Selandicarum indicio sunt. Romanis sub initium eadem erat propensio animi: & quoniam destinata erat a Deo urbs illa ad vastum ejusmodi imperium, Romulo contigit regnum instituere illis conveniens, in quo plebs magistratus eligebat, leges ratas habebat, deliberabatque de bello a rege proposito: Senatus decernebat de illis, quæ Rex proponebat. (*Dion. Hal. lib. 2. hist.*) Sit conclusio, quod populus animi elati spiritusque cupiat liberè regi, vel regi regio imperio, at miti & ferè politico. Estque ratio hujus alternativæ, quod quo majestas imperantis est excelsior, eo promptius flectuntur animi elati ad parendum: neque dubium est, quin regia majestas superet ceteras supremorum magistratum; videlicet, Romæ major erat illa regum, & postea Imperatorum, quam Consulium. Quare etiã ubi speciatim subditorum animi celsitudini junctæ sunt dignitates eminentes, cujus generis sunt tituli, & possessiones jurisdictionum nobilium, velut apud septentrionales & Hispanos Gallosque usu venire comperimus, magis apti sunt ad regium imperium, quam ad quodvis aliud. Quæ sententia effectibus congruit: quoniã deprehendimus in præsentia ita usu venire, & olim ita plerumque contigisse ab omni retro memoria illius Nationis. Et quando alio imperio regere in animo constituerunt, malè successit ob contentiones inter istos magnates, & exiguam obedientiam versus imperantem: ut apud Polonos contigit. At vero ubi refracta magis est animi celsitudo populi, tum quoque conditione & fortuna minore est, & numerosa nobilitas, & ob res gestas insignis; ibi multitudo apta est & prona ad statum Optimatum, ut Venetiis cernimus: civitas quasi penicillo picta ad imperium ejusmodi ferendum, quod experientia plurimorum seculorum confirmat, quibus

stetit sine ulla interna seditione, sive ullo vel  
minimo motu populi versus nobiles,

Pro-



## Propensio ex consuetudine.

## CAP XXXII.

**P**ost propensionem naturalem perpendenda erit propensio ex consuetudine, quæ tractu temporis naturam valet immutare. Exempli gratia, Romani propensi ad imperium liberum, subjugati sunt a Cæsare, & post illa ab Augusto armorum vi, & iniqua proscriptione. Pertulit nihilominus etiam postea coniurationes plus unam, licet fuerit ab eo servatus, qui ipsum destinabat fundatorem illius formæ reip. at vero cum imperium hoc continuaretur, talis factus est iste populus, ut ne per somnium quidem de libertate amplius cogitaret, planeque propensus esset ad illam formam regiam. Quare mortuo Caligula cum Senatus constitueret imperium reducere ad remp. liberam, excluso Principatu & Cæsariibus, multitudo exclamavit, se velle Principem. Suetonius: *Postero vero die senatus seigniore in exequendis conatibus per tedium ac dissensionem diversas sentientium, & multitudine, quæ circumstabat, unum rectorem jam & nominatim exposcente.* Defunctis postea sequentibus Imperatoribus, nemo erat qui mutiret de relinquenda forma Monarchica instituta, adeò illa jam longa consuetudine quasi in naturam transierat. Hinc exoritur, quod imperium quoddam principiò non accommodatum ad genium populi, ideoq; injustum, usu fiat populo accommodatum, & justum. Qua de causa contingit, ut regimen initio tyrannicum, tempore fiat imperium justum in speciem, scilicet si consuetudine jam populus comparatus sit & propensus ad parendum illi: & secundò quod pravus finis tyranni occupantis in successoribus fiat (quibus jam convenit cum subditis) bonus, cum imperio illos regat placido, & eapropter illorum etiam commodum procuret, non suum solum. Tale fuit imperantibus Vespasiano & Tito, Nerva & Trajano, Antonino Pio, Marco Aurelio, & Alexandro Mammea & Theodosio, Imperium sane Romanum. Licebit eorum plures recensere, quos brevitatis gratia prætereo, sub quibus imperium unius alteriusve respectu imperium justum fuit, non obstante principiò iniquo. Ex vi consuetudinis provenit, quod populi natura ob situm & solum efferi, patiantur regi se heriliter: ut de Muscovitis legimus & cognitum habemus. Unde ferre etiam potuerunt æquo animo detestandam



dam Tyrannidē Joannis Basilidæ Magni sui Ducis, crudelioris Nerone & Caligula, aut minimū haud illis inferioris crudelitate. Sed consuetudo in iis prognata est ex valore axiomatum, quæ artibus principū inserta sunt animis subditorum, & disseminata per vulgares loquēdi modos: etenim vocantur magni Barones & ministri, quod sint Chlopi, id est abjectissimi & vilissimi servi Magni Ducis. Omnia sua bona mobilia & immobilia, quæ proprie possident, non sua sed Magni Ducis esse dicunt. Quavis re proposita dicunt, Deum & Magnum Ducem id scire. *Alex. Guagnin. in descr. Muscov. cap. de consu. & marib.* Et hic communis ijs loquendimos est, voluntatem principis Dei esse. Hasce persuasiones adaugent principes illi, privantes subditos omni cognitione rerum, nec sinentes illos scientias discere, & artes nobiles, non peregrinari, unde acquirant sibi peritiam & usum rerum mundanarum. Jam dixi, quod consuetudo valeat propensum reddere populum ad regiminis formam obtrusam, & ita efficere illud regimen justum, quod initio erat injquum: sed explico me, quod consuetudo, quæ contendit ad enervandum plane animos subditorum, & quod hinc sequitur ad præparandum eos ad imperium despoticum & servile longè absit a justitia: quoniam loco reddendi subditos virtutibus exornatos, ad summum usque expleant deformi vitio, quod est animi servitus, quod vitium ut tutum reddit principem tyrannicum tempore pacis ab internis motibus, ita exponit periculo externarum virium, aut principum peregrinorum, quibus propter vilitatem subditorum exercitus ex suis collecto resistere nequit, aut militia mercenariæ a se conscriptæ, qui sæpius ex canibus in lupos mutati status invadunt fidei ipsorum commissos. Ejusmodi hodie status planè est Muscovitarum, qui ubi numero in campum comparent exercitu, plerumque superantur, & in fugam conjiciuntur à Polonis, qui illis longe minori numero obviam procedunt. Etiam Tributarii fuerunt Tartarorum, & Magni Ducatus investitura ab iisdem petita est. Ita olim Persæ simili recti imperio a regibus suis, eò devenerunt, ut parum armis valerent, ipsorumque exercitus numero excedens, victus cæsusque sit ab exiguo Alexandri, cum ipsorum collato. Plato inquit *lib. 3. de legib.* mirum esse, quod cum Persarum Rex subditis abundet, utatur militibus externis. Quod ad periculum tandem ab exteris militibus mercede conductis, Caliphas Ægypti statu exutus est a militibus stipendio conductis, in auxilium sibi a Sultano Syriæ missis: & Saracones illorum dux illum invasit, sumpto Sultani nomine. *Pet. Mart. rel. 3. cap. 8.*

Et



Et post aliquod tempus successorum suorum quidam Melessala, mancipiis e Circassia & talibus locis accitis, extracto ex iis exercitu, ab iisdem mancipiis concisus est, statusque occupatus, facientibus unum ex ipsorum numero Sultanum nomine Turquemenium. *Id. Ibid.*

*De Dispositione, quæ ex accidenti quodam est.*

C A P. XXXIII.

**U**ltima causa propensionis ad novum imperium casus quidam est, qui contingit, ob quem populus aut suæ securitatis gratia, aut ob vindictam, aut res. similes, novo imperio se submittit, quemadmodum, secundum fabulam antiquam, equus se subjecit homini, ut cervum prato depelleret, ipse vero solus pasceretur. Ut tuti essent a Samnitibus Campani, se Romanis subjecerunt, formula a Livio descripta ex ore Legati ipsorum, qui in mandatis penitus habebat. *Quandoquidem, inquit, nostra tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis: vestra certè defendetis. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra, Deum, divina humanaque omnia, in vestram, Patres Conscripti, populique Romani ditionem dedimus: quicquid deinde patiemur, deditur vestri passuri:* lib. 7. hist. Liv. Eandemque ob causam Genuenses se dederunt Archiepiscopo Mediolanensi Joanni Vicecomiti, ut apud Matth. Villanum est, lib. 3. cap. 86. Florentini non metu solum, sed & vindictæ cupiditate Dominum elegerunt in decennium Carolum Calabriae Ducem, filium Roberti regis Neapolios. Nam ita sanè scribit Joannes Villanus: postquam cognitum est, acceptasse illum electionem, multum ideo gavisi sunt, sperantes adventu ejus vindictam iri se, & liberatum a vi & injuria Tyranni Castrucci. lib. 9. hist. c. 329. Tradere se in potestatem potentioris, cui spes haud est posse resisti, genus est defensionis, quatenus spontanea deditio creditur evitari spoliatio & mors. Ita Rhemifecerunt Cæsare ad se tendente. Cæs. comm. lib. 2. Ad idem quoque caput referuntur paces iniquæ, in ita vitandi majoris mali causa, enimvero eo quod offertur, defenditur alterum, quod superest. Eam ob causam Carthaginenses acceptarunt conditiones pacis, oblatas sibi a Romanis per Scipionem Majorem Proconsulem, quam adversus Gisgonem, eam dissua-



dentem, suavit ut necessariam nec iniquam ipse Annibal. Tit. Liv. lib. 30. At cum se Romanis dederent Falisci, fiebat propter causam longè nobiliorem: scilicet, ob Camilli animi celsitudinem, cum filios Faliscos remitteret liberè, magistro proditore manibus post tergum illigatis. Liv. lib. v. Et simili virtutum Scipionis admiratione, Celtiberi suavit Allucii Romanis se dederunt: & auctoritate Mandonii & Indibilis subditos se & asecclas Romanorum obtulerunt, Liv. lib. 26. Sed monendum est, similes dispositiones, ut accidentales sunt, ita haud diu durare. Genuenses posteaquam Venetos uli essent, simulque metu sepulti, in quem ex clade ad Lojeram inciderant, triennio post factam deditionem rebellant: & Campani ubi credebant commoditatem se nactos esse propter cladem Cannensem, æquales Romanis esse voluerunt, non eorum subditi: postulantes ut unus Consul Campanus esset, nec multo post spe ab Hannibale data, primatum Italiæ sibi promittentes. Et Florentini quoque sublato metu Castrucciano, si supervixisset Dux Carolus, defecissent, aut novi quid moliti fuissent: hæc enim verba sunt Joannis Villani: *Et sanè si dux diem non obiisset, non absuisset diu, quin Florentini fuissent machinati quid novi adversus Dominum, vel ab eodem defecissent.* Ita ille, lib. 10. cap. 3 qui eodem tempore vixit, ac administrationi reip. præerat. Quare supra ejusmodi dispositione ex casu non est fundanda justa forma reip. stabilis. Admiratio virtutum causa per se permanens magis est, ubi virtus suspecta durat: at neque qui semel bonus est, perpetuo manet talis. Sub initium Nero magnam præse gerebat bonitatem, quare dicitur quod primum illius quinquennium æmulatus fuerit, aut laudavit Trajanus, at postea factus est, ostenditque se sceleratissimus. Commodus sub initium imperii opinionem de se præbuit miram, de quo ait Herodianus, hist. lib. 1, *pauculis annis nihil non honoris paternis amicis exhibebat, omnibusq; eos negotiis in consilio habebat:* at postmodum evadebat nequissimus. Et pariter Senatus & populus Romanus in universum magna initio integritate administrarunt remp. multaque fide & justitia res sociorum & subditorum gesserunt: at post illa avaritiæ se totos dederunt & luxuriæ, vitiisque quibuscunque, ut deplorat Salustius finiens, quod illud imperium *ex justissimo atq; optimo crudele intolerandumq; factum est.* Præterea Judicia popularia facile mutantur, & illi qui paulo ante virtutem quandam suspiciebant, idem isti cum paulo post illam aliter interpretantur, aut cum satietas eos cepit, cupidique facti

con-



contrarii, aut eam contemnunt, aut abhorrent, aut minimum sublata necessitate non æstimant amplius. Ita Romana plebs in exilium agebat Camillum, cujus virtutem primo admirata fuerat, & triumpho dignam judicarat. Poteruntque similes casus quam plurimi in testimonium produci ad probandam mutationem perfacilem popularis opinionis.

Existunt præterea externi respectus, scilicet principis vicini, quorum ratio habenda est, ut monet Arist. lib. 7. pol. c. 2. *Videre si qui finitimi sunt populi, qualia ad quales exercenda sunt, & quemadmod. cum singulis conversandum.* At casus notabilis mutandi temp. est, si pars una civium præcipua fuit in reportanda quadam ab hoste victoria, magis etiam si in victoriis compluribus potiores extiterint, quod tradit Aristoteles lib. 5. pol. c. 4. Ita Populus Florentinus post plurimas victorias a vicinis terris & civibus relatas, insurrexit, formavitque temp. popularem primum. Et Romana plebs, armis & victoriis in vicinos auctis, indies temp. illam reduxit ad regimen magis populare.

Ut compendio dicam de justitia hac formæ reip. Sit forma reip. una ex bonis, sitque propensus ad ejusmodi formam ille populus aut natura, aut consuetudine. Sit vero consuetudo hujuscemodi, quæ nec ad turpem animi vilitatem deducat homines, nec ex adverso ad fastum & audaciam nimiam. Ad hanc propendet & conducit democratia effrenata, sua diuturnitate: ad illam Monarchia severa & perpetua, ut fufius tradit Plato 3. de legib. allato exemplo imperii Persici, & democratia Atheniensium. Adde, quod inter binas bonas, scilicet temp. in specie ita dictam, & absolutum regnum, varii bonarum gradus existant. V. G. non solum Aristocratia, sed & complures gradus mixtionum, magis minusve restrictarum, secundum variam populi indolem, secundum quam regi vult, & habilitatem ejus cui imperium contigit.

*Non sufficere ad perfectam justitiam formæ,  
ut resp. bene constituta sit, si imperium quoq; & ad-  
ministratio non illi consonet.*

## CAP. XXXIV.

**V**idimus, quod non semper reip. forma, ejusdemque administratio actu existens congruant. Qua de causa usu venit, ut in civitate ad regnum



proclivi vere existat regia forma, at administratio Aristocratica sit: si Rex se committit totum concilio cuidam suo, aut sorti certæ personarum, aut sectæ doctrinæ cujusdam, & virtutis præclaræ. Hoc modo ultimo regnum Judæorum administrabatur a Phariseis tempore reginæ Alexandræ, tali pacto, ut Josephus dicat, *nomen ergo regium tantum illa ferebat: omnem v. potestatem Pharisei possidebant.* Antiqu. lib. 13. cap. 22. Quare ratione formæ regnum erat, at ratione administrationis tum regnum illud Aristocratia existeret. Resp. Romana tempore Marii, antequam consul crearetur, licet secundum formam prævaleret in illa potentia popularis, nihilominus regimen ipsum tendebat graviter ad statum paucorum. Salustius: *Ceterum nobilitas factione magis pollebat plebis vi soluta, atq; in multitudine dispersa minus poterat: paucorum arbitrio belli, domiq; res agitantur: penes eosd. ærarium, provincia, magistratus, gloria triumphiq; erant.* In Jugurt. At quod ratione legis & formæ resp. potius popularis existeret eodem tempore, elucescit ex C. Memmii ad populum oratione, ad quem cum verba faceret, ait in sua esse situm manu sine armis, sine vi potentiam dissipare paucorum, & reducere remp. ad popularem potestatem. Idem illud plerumq; cernitur in regnis moderatis, & legib. adstrictis, quæ tempore contendunt ad regimen supremæ & solutæ potestatis. In Anglia nequit Rex subditis tributa imponere sine consensu Statuum; idemque observabatur in Galliis ante tempora Caroli septimi, qui primus sua indixit auctoritate, quod sequutus postea est imponendo majora tributa filius ejusdem Ludovicus XI. nec aliter egerunt qui hunc sequuti sunt reges. Audiamus Comineum, lib. 6. quid de hac re scribit in suis historiarum libris: *Carolus septimus ipse pater (loquitur de Lud. XI.) qui singulari virtute suorum egestis Angliis obtinuit Normanniam & Aquitania partem, primus omnium pro suo arbitratu pecuniam imperavit, sine consensu populi.* Attamen Rex Carolus paulo ante mortem reditus habuit non nisi decies & octies centena francorum millia; at Ludovicus XI. filius reliquit moriens quadragies & septies centena francorum millia, ut porro ait idem Comineus.

At ea principum omnium est consuetudo, ut tempore se obfirmant magis in animis popularium, cum iisdemque majori agant fiducia. Paulus III. Pontifex princepsque magnæ auctoritatis, in imponendo statui triennale subsidium insigni procedebat dexteritate, cupiebatque, ut gubernatores sui urbium regionumque, animos popularium prudenti præparatione ad illud com-

com-



compellerent: ut exemplar litterarum jussu suo scriptarum ad Gubernatorem tum temporis civitatis, quod in nostris scriniis asservatur, fidem facit. Jam vero imponitur onus nobis, ut nihil plane sciamus ejus, nisi quando tributa indicta exiguntur, ubi tum raro paratae sunt civitates, quoniam ad ea colligenda tempus defuit.

Ceterum observatur vitium aliud in regnis etiam absolutis, inter administrationem & formam: enimvero principes plurimi ex imperio regio transeunt ad herile, imperantes non modo ut absoluti principes, verum tanquam domini absoluti facultatum, & personarum, parem in modum ut domini in mancipia dominantur, eorumque bona. Mancipium definit Arist. *lib. 1. pol. c. 3.* (sive servum) *hominem qui sui ipsius natura non est, sed alius, ut quod possidetur.* Et secundum legem civilem dominium absolutum Domino est in personam & bona servi, quanquam lex casu quodam nata sustulerit dominis potentiam auctoritate propria necandi servos. *Instit. de his qui sui vel alieni Juris, §. in potestate.* Jam Turca utitur principatu herili, & Muscovita, & omnes ferè Orientis principes. Sed de imperio herili differam inferius. At modo contrario vitiatur administratio ratione formæ status, dum nimis a rigore recedit imperantis auctoritas. Etenim si sinat rex auctoritatem suam vilescere, in ejusmodi regno sæpe numero usu venit, ut populari licentia vivatur, quam Plato descripsit, *lib. 3. de leg. sub fin.* Temporibus Gregorii XIII. ob clementiam nimiam ingentes sumptuerant spiritus sibi nefarii & in univ. sum quoque populares, nec leges observabantur a magistratib. ea observantia ut in regnis par est: cujus contrarium sub pontificatu Sixti v. & sequentium pontificum accidit. Ad hunc finem res redit, quando Princeps aut principatus auctoritatem amittit, & principatus mutatur in Anarchiam, statum tyrannide pejorem, ubi scil. jussum nullum est, nec imperium, nec auctoritas publica, verum quilibet suo vivit lubitu. Oportet itaque principatum sibi servare majestatem publici commodi gratia: quapropter mihi placet de ea sequens caput adnectere.



De majestate quanto studio conservanda sit a quolibet principatu.

CAP. XXXV.

**F**acillimus est transitus metonymiæ in denominandis rebus, cum facile attribuamus effectui causæ nomen, & vicissim causæ effectus nomen, cum quotidie dicamus pallidam mortem, quod causa sit pallo-  
 ris cadaverum, & amorem ardentem, quod nos incendat, & metum frigidum, quod frigus in nobis producat: & Plautus dicebat *ferre Vulcanum in cornu*, loco ignis. Ita honos subinde, sumitur pro honore dignum esse, ut est virtuosa actio, & habitus virtuosus, idemque majestati accedit. Sumpta est a nonnullis, & aliquando pro summa potestate, quod sine dubio principem reddit majestatis plenum. Ab aliis alias accepta vox est, pro veneratione, in qua est princeps cum primis apud suos subditos: & in ea significatione dictum est, Deum digito imprimere fronti regis reverentiam & Majestatem, inque hoc sensu venerationis accepta fuit & definita a Cicerone. Bodinus (lib. 2. disc. pol. cap. II.) primo sensu eam definit, utitur tamen illa postea in altero quoq;, absq; quod lectorem admoneat varietatis significationum: quod legib. Logicis adversum est, omniq; bonæ methodo, eaque propter recte reprehensus à doctissimo Albergati. Sumamus modo nos majestatem pro reverentia & veneratione, non autem pro summa potestate & jure absoluto, quod quamdiu durat, forma reip. non interit: at veneratio sane amittitur, licet maneat forma, si Princeps, aut Imperans, mandata sua contemni sinit.

Quæritur utrum majestas soli Principi competat, an vero ceteris quoque magistratib. an si amplius competat ceteris quoque dignitatib. extra imperium & Jurisdictionem sitis? Albergatus etiam extendit illam ad personas privatas magnæ existimationis, Valerium Maximum sequens lib. 2 cap. ultimo. Nonnulli tribuunt solis magistratib. Alii soli principi. Ego paucis (ut hic loci disputationes non necessarias præteream) respondeo, quod majestas propriè accepta, comes sit summæ potestatis, ideoque competat verè cunctis, qui partem summæ potestatis participant, qui postilla omnem complectitur, velut absolutus Princeps, aut in populari rep. populus, aut in Aristocratia senatus, illisq; præcipue competit, non

pro-



proprie solum. Ceterum quo major subjecti est unio, tanto celebrior dignitas evadit in eo collecta; hinc in Regibus evidens fit magis majestas, quam in Senatu quodam, aut populo absoluto utente dominio. Et ita deprehendimus, quod adacti vi veri, reges majestatis nomine dignamur, & Imperatorem, non autem Venetam remp. quantumvis illorum status regius sit. At quod proprie non competat nomen illud privatis, apparet ex Ciceronis definitione, quæ est, quod *Majestas sit amplitudo & dignitas civitatis.* (de Orat.) Patet quoque ex crimine læsæ Majestatis, quod nunquam attributum est personæ privatæ, quo etiam supremo sit dignitatis fastigio posita: sed principibus solum & principatibus. Nec etiam ad læsionem magistratum minorum crimen majestatis læsæ extenditur, licet severè puniatur, quod patefacit, non esse Majestatem comitem auctoritatis publicæ & potestatis in universum. Quoniam itaque nec privatis competit Majestas ob ea quæ dicta sunt, nec cuilibet magistratui, & vero principi absoluto convenit planè, superest posse inferri, quod omnibus illis potestatibus publicis, quæ summam potestatem in se collectam tenent in suo imperio, majestas conjuncta sit, magis minusve, secundum amplitudinem vel vilitatem muneris & imperii.

Hoc ipsum auctoritate confirmatur Ciceronis gravissimi scriptoris, tanto magis ubi de vi vocum agitur. Is itaque primo loco majestatem attribuit populo Romano. *Ut imperium, inquit, majestasq; populi Romani conservaretur.* (pro Rabir.) Et meritò, nam tandem præcipua potestas erat penes populum. Attribuit eam postea & Consulibus. enimvero & penes Consules quædam summa erat potestas, præcipue circa arma. Reperietur etiam tributam Senatui, quod etiam quandam summam habebat potestatem, ut antea expositum est. Et tantum de proprietate vocis. Quod deinde per metaphoram, & hyperbolem, aliosq; tropos similes privatis etiam applicetur, nedum magistratibus, alicujus ponderis, dubium nullum est. Nam si largimur vocem solis oculis pulchræ fœminæ, ut Ariostus,

*Sono due neri occhi anzi due chiari soli,*

*Bini nigri sunt oculi, imò bini coruscantes Soles,*

quomodo haud poterit applicari existimationi, quam quodvis secum fert meritum etiam privatum, tantò magis publicum, licet non supremum, vox Majestatis? Jam in hac majestate Principis & principatus, adeo necessaria bono regimini cujuscunque reip. deprehenditur admirabilis imò infinita.

Dei



Dei providentia in eo, quod in serat pectorib. subditorum reverentiam versus Principem ipsorumque Dominum, & inculpat fronti Principis & superiorum Majestatem. Neque est quod admiremur hunc effectum divinæ providentiæ in negotio tanti inter humana & civilia momenti, si animo perpendimus curam quam gerit evidenter rerum minimarum. Arduum foret artes enumerare quib. indiget vita hominum, & quam earum nonnullæ sordidæ sint, veluti cerdonum, purgatorum latrinarum & foricarum: quam aliæ abominabiles, & viles, ut carnificis, quam nonnullæ laboriosæ & abjectæ planè: nihilominus magnus ille cordium humanorum motor, ita partitur propensiones animorum, fortunasque, ut in nulla arte desit, qui indigentia locorum, & urbium satisfaciat, etiamsi de certis opificiis artifices plures requirantur, maxime in amplis civitatib. Est præterea res admiratione digna, quod cum sexum distinxerit ob continuam propagationem hominum, utriusque parem dederit numerum, ut non contingat deesse, qui cupiat legitimam consortionem in opere humanæ generationis. Revertor ad propositum. Effectus ejusdem divinæ providentiæ est inditus instinctus subditis venerandi Principes & dominationem, quib. subjecti sunt. At quoniam humanæ res a Deo ordinatæ sunt, libertate semper relicta humana, & libero concursu humanæ cooperationis; quare necesse est ut Princeps sciat valeatque sibi conservare reverentiam apud subditos, ut a contemptu quam longissimè se abducat. At quib. artib. & modis procuret sibi majestatem, ea de re agere differam in tertiam hujus libri partem, ubi mihi tractandum erit de prætextib. politicæ larvata. Interea satis sit firmare hic conclusionem de majestatis necessitate, quæ tanta sanè est, ut cum ob negligentiam Princeps aut principatus illam amittit, actum sit de imperio. Est quispiam qui scribit existimationem Imperantis tertiam esse conditionem ad statum requisitam, at fortè rectius est, ut prima dicatur. Enimvero cum relatio Principis & potestatis supremæ ad subditos consistat in imperando, & subditorum ad principem in parendo, existimatio principis, sive supremæ potestatis, fundamentum est unius imperii, & obedientiæ ceterorum. Nam sublata reverentia subditorum versus principem, deficit actu auctoritas, licet jure & ratione supersit. Ruinæ regni Franciæ, quod aberat parum a casu sub Henrico III. existitit causa, quod existimationem suam apud populum amisisset, apud quem tantam sibi acquisiverat Henricus Dux Guisus, ut amplius fuerit campus suis æmulis eum regi suspectum reddere, ne regno exueret ipsum,



ipsum, ut Capetus fecerat Carolouingis. Ex aduerso reducendi illam Monarchiam ad pristinum splendorem, & subditos ad unanimum obedientiam, existit medium & causa, autoritas Henrici IV. ob animi valorem, tam bello, quam vigente pace. Mutabatur resp. Romana in Monarchiam, quando iussa populi, & decreta Senatus evilescerent, ita ut Centurio in eodem Senatu audeat dicere: nisi vos dederitis Consulatum Octaviano, hæc dabunt, manum simul capulo gladii imponens.

## De Iustitia Distributiva.

### CAP. XXXVI.

**H**ic principio repetendum ex morali philosophia Arist. (lib. 5. Eth. c. 1. & 2.) Iustitiam aliam esse universalem, aliam particularem. Universalis pro objecto suo habet illud, quod leges jubent, hoc est legitimum, unde ea propter dicta quoque est Iustitia legalis: particularis iustitia pro objecto habet æqualitatem, hoc est, ut illud, quod per iustitiam tribuitur, nec plus, nec minus sit eo, quod competit illi, cui fit iustitia. Et hæc particularis alia distributiva est, alia est commutativa, sive emendativa dicta: de quibus & de jure earum differendum erit modo ordinè. Quod ad universalem, quoniam optima & perfecta lex, (quæ illa est optima reip.) jubet virtutes omnes, quoniam virtutes omnes in se complectitur, estque appellata ab Aristotele virtus integra, cum de ea dicat, *Itaq; neq; hæc iustitia pars virtutis est, sed & integra virtus, neq; huic opposita iniustitia pars vitij: sed integra est vitiositas*, eo pacto, ut, qui fortitudinem exercet, ita enim jubet lex, actionem fortem committat, sed ex habitu iustitiæ universalis: & hic pro fine habet publicum bonum, quod continetur sub legum observantia: at qui illam exercet præfixo sibi honestatis fine, qui est in actione forti, operatur ex habitu fortitudinis. Pariter se res habet de actionib. temperantibus & liberalibus, mansuetis, magnanimis, & ex particulari iustitia iusti: quæ ut a lege iustæ, pertinent ad iustitiam universalem, ut peractæ propter honestatem, quam in se ipsis continent, ad particulares spectant virtutes, ex quib. integra virtus componitur, cui e regione ponit & præfert iustitiam dictam universalem, sive legalem. S. d. remitto lectorem ad illud, quod de  
O
iustitia



justitia universali scripsi lib. 2. de justitia cap. 9. ad caput usque 14. deq; ejusd. objecto, libro 1. cap. 17. & sequentib. Jam ad particularem pergo, & hujus primam distributivam, in cujus administratione consistit tertia pars justitiae imperii. De hac igitur specie justitiae, deque suo objecto, quod jus est, sive justum distributivum, subtiles difficultates agitatae sunt inter morales scriptores, quas praeteribo, me referens ad illud, quod de iis tradidi in meo primo libro (est lib. 19. part. mor. Hygienes) de justitia cap. 10. 11. 12. 13. & 14. & dehinc lib. 2. cap. 13. Ego ex locis illis huc transcribam, quod facit ad rem praesentis considerationis: omittam cetera, ne repetam, quod alibi docui, utq; contineam praesens opus intra terminos propositae mihi & promissae brevitaris. Sciendum igitur est, quod ex virtutib. moralib. nonnullae sua natura transeunt ad alios, ex quib. justitia est, & liberalitas & munificentia: ex iisque alia largitur ex munificentia, haudquaquam ex debito: alia ex debito dat, quicquid facit. Munificentia id largitur, ad quod non tenetur, sed voluntate libera illud dat: Justitia tribuit, aut efficit, ut illud conferatur, quod debitum exigit, ut detur cui etiam sit. (in parte morali Hygienes, lib. 7.) Exempli gratia: dare scutatos viginti pro pretio ita convento equi jam mihi traditi, est dare ex vero debito: & vi cujus etiam a quolibet aequo judice cogi possem, ut persolverem: at inopi civi largiri 20. scutatos misericordia compulsus aut charitate, velut D. Nicolaus patri trium virginum, mera humanitas est, sine ullo debito, quo quispiam constringi posset ad solutionem. Justitia restringitur ad debitum verum, quod propterea etiam vocatur debitum ex justitia, ut debitum quod praeter hoc est, vocamus debitum ex honestate, & identidem ex charitate: & ejusmodi obligatio concedatur esse subinde in operib. liberalib. quando scilicet ita postulant occasio & circumstantiae: ut aliter si quis ageret, committeret quoddam ex vitiis contrariis. Hoc itaq; fisco fundamentum ex dictis, quod justitia particularis occupata sit circa res absolute & vere debitas, cum scopus alius illi haud sit, quam debitum exaequare cum solutione. Credidi Petro decem scutatos, illa Petrum cogit illos mihi reddere. Ego vitam servavi decem civib. & Caesar tantum uni, ideoque nactus est coronam civicam, mihi debentur propterea decem, & justitia tot mihi attribuit. Et haec aequalitas est, in qua ponit objectum justitiae particularis Arist: quam in Graeco vocat *δικαιοσύνη*, Latine per jus redditur, & nos vocamus, *ragione*, sive *dritto*, sive *il giusto*. Dixi, justitia particularis, ut excludam universalem, quae respicitur.



spicit legum observantiam, ejusdemque objectum illud est, quod a legib. jubetur, quod Arist. Græce vocat *νόμιμος*, id Latine est legitimum, legib. imperatū. Et quoniam Resp. optima omnes imperat virtutes, earumque operationes: ideo quicumque habitum capit observandi leges, habitum assumit, quo exercet omnes omnium virtutum actiones prout opus: hincque usvenit hunc talem habitum vocari justitiam legalem, quod pro scopo habeat leges: etiam universalem dici, quod complectatur virtutes omnes, quantum ad substantiam, licet non quantum ad formalitatem. Sed nos relinquimus universalem hanc justitiam, cum incumbat nobis solum de particulari in præsentem differere, deque suis binis speciebus, de commutativa, alias correctiva, & de distributiva. Revertamur itaque ad id quod diximus, particularem justitiam, binasque suas species respicere debitum, ut is qui debet, satisfaciatur. Jam quod ad debitum, ut egregie distinguit D. Thomas, (2. 3. qu. 61. art. 1 ad s.) aliter illud debetur, quod totius est, parti, quod est illud publici, quod debetur civi particulariter, aliter illud debetur civi, quod suum est. Ego nonnemini mutuum dedi modium frumenti, is mihi tantum debet ut rem propriam. Resp. decernit, se daturam cuique civi scutatam singulis mensibus ex redditibus publicis: is scutatus qui mihi debetur ex publico decreto, mihi debetur ut res communitatis, non ut mihi propria, eo modo, ut modium frumenti, quod dederam mutuum: nihilominus mihi ex decreto debetur: & hoc debitum respicit justitiam distributivam, ut alterum pertinet ad justitiam commutativam, sive correctivam. At differentes justitiam commutativam ad caput 42. dicamus, justitiam distributivam consistere in distribuendis rebus publicis, quæ dispartuntur inter privatos secundum proportionem, hoc est, cum distribui ejus possit inter cives plus, quam competat, minusque, justitia nec deficit, nec excedit.

Idem illud Aristot. nos docuit de justitia hac loco paulo ante indicato, quod scilicet observet debitam proportionem, sumatque pro fundamento, quod debeat procedere secundum dignitatem personarum, verba hæc sunt: *Est præterea hoc perspicuum ex illo, quod est ratio dignitatis. Nam quod jus in distributionibus positum est, id fatentur omnes pro cujusque dignitate esse oportere. Quanquam interim dignitatem non eandem omnes dicant esse: sed qui forma reip. administranda utuntur populari, libertatem: qui paucorum principatu utuntur, ex his alij divitias, alij nobilitatem generis: si autem apud quos reip. præsunt optimates, virtutem.* Jus igitur propor-



atione & comparatione quadam constat. Sed quænam sunt res publicæ, quæ distribuuntur inter privatos? quæque est proportio? Una alteraque rerum harum indiget expositione, ut cognoscatur satis justitia distributiva, quæ modo cœpta est exponi. Res itaque quæ ex publico distribuuntur inter privatos, aliæ utiles sunt capienti, aliæ damnosæ. Utiles sunt honores publici, ut magistratus, triumphus, coronæ, statuæ, arcus & res similes: emolumenta quoque, quæ a rep. dispensantur, ut Athenis nummi theatrales, victus perpetuus, in Prytæneo: & apud Romanos, agri & possessiones, quæ dabantur militibus. Aristoteles paucis tetigit capita bonorum, quæ distribuuntur, Ethicorum v. cum inquit: *Una species est, quæ in distributionibus, aut honoris, aut pecuniarum, aut ceterarum rerum consistit, quæ dividi inter eos possunt, qui ejusdem civitatis participes sunt.* Res damnosæ, onera sunt, & pœnæ. Onera alia personalia, quæ a persona sustinentur, ut excubias agere, opera manu facere, & similia: alia onera sunt realia, ut tributa persolvere, indictiones & vectigalia: alia mixta sunt. Etiam pœnæ ad hanc pertinent justitiam, attamen ea distinctione, quam tradidi dicto primo libro de justitia, repetamque inferius. Superest ut exponatur proportio, quæ requiritur in justo distributivo. Principio itaque monendum est, quod binæ hæ voces, proportio & proportionalitas non idem significant: enimvero proportio est unice sola inter binas quantitates, velut inter quatuor & duo est proportio. At proportionalitas, Græcè analogia, minimum duas continet proportiones, quarum comparationem perpendit, & minimum tres terminos, & ita inter 8. 4. & 2. proportionalitas est: nam inter 8. & 4. intercedit proportio similis illi, quæ est inter 4. & 2. cum ambæ sint proportiones duplæ. Sed relinquens in præsentem subtilitatem mathematicam, ut minus turbem imperitos scientiæ hujus, confundam vocabula, ita ut utar illo proportionis loco amborum. Itaque dico, quod quantum ad præsentem facit sermonem, binæ sunt proportiones, altera Arithmetica dicta, altera Geometrica. Arithmetica consistit in differentia, qua numerus unus alterum vincit. Geometrica consistit in inclusione, propter quam major numerus minorem continet, & minor inclusus est a majore: planum faciam exemplis. Numerus senarius, ternarium vincit tribus unitatibus. Hæc est proportio Arithmetica, & pro ratione hujusmodi proportionis eadem versatur proportio inter nonarium & tenarium, quæ inter senarium & ternarium, cum semper trium unitatum differentia intersit. At secundum proportionem Geo-

me-



metricam senarius ad ternarium in dupla est proportione, continet enim illud exacte bis, & quoniam æque duodenarius continet senarium bis exacte, proportionales erunt Geometrica proportione, duodenarius, senarius & ternarius: cum arithmetica proportione essent proportionales nonarius, senarius, & ternarius. Jam ex hisce binis proportionibus Geometrica attribuitur a Theologis & Philosophis iustitiæ distributiæ, ut arithmetica commutatiæ, de qua differam postea. Hactenus a iustitiæ distributiæ proportio geometrica talem in modum adhibetur. Scilicet, quoties dignitas personæ cuiusdam continet meritum alterius, toties præmium dignioris continet illud minus digni. Fingamus Casarem bis digniorem esse Pompeio, præmium Casaris oportebit ut duplum ejus sit, quod Pompeio datum est. Hæc sententia est Aristot. & suorum interpretum, & Thomæ 2, 2. suorumque interpretum: & si aliter fiat, distributio erit iniqua, quæ iniqua distributio a Theologis vocata est respectus personarum. Unde firmiter colligitur, quod nequeat Princeps pro suo arbitrio & libitu distribuere honores publicos, nisi quod committat graves iniquitates, dum privat civis dignos eo quod illis debetur, & largitur iis, qui non promeruerunt. Plato quoque vult, ut publici honores distribuantur secundum meritum civium lib. 3. de legibus, ubi inquit: oportet itaque civitatem, quæ pro viribus humanis salva, felix, & futura sit, recte honores, & opprobria distribuere: ut sequenti audiemus capite, agamque de eare iterum longe inferius. Interea, cum præmium in diversis rebus diversum sit, simulac quoque meritum omnium bonorum publicorum, tum etiam in ead. civitate haud idem est, præterquam quod meritum bonorum differat a merito onerum, adhuc magis ab illo pœnarum, quod potius supplicium est: ea propter agam separatim de merito ob quod publicæ res distribuuntur privatis: & principio de merito bonorum, quæ dispensantur, & post illa de merito onerum & pœnarum, quod meritum pœnarum ratione supplicium est, & in oneribus est certa talis ratio passiva onus ferendi, ideoque putatur dignitatis esse, si quis iis non sit obnoxius.



*De merito, quantum spectat ad publica  
bona quæ distribui debent.*

CAP. XXXVII.

**M**eritum quod civi est in publica bona, quæ distribuenda veniunt inter privatos, varium est: & videtur quod generatim varie describatur. D. Thomas dicit consistere meritum in eo, ut quis inter principes sit reip. verba ejus sunt: *In distributiva justitia datur alicui alicui private persone, in quantum id, quod est totius, est debitum parti: quod quidem tanto majus est, quanto ipsa pars majorem principalem habet in toto: & ideo in distributiva justitia tanto plus alicui de communibus bonis datur, quanto illa persona majorem principalem habet in communitate: quæ quid. principalem in aristocratica communitate attenditur sec. virtutem, in oligarchia sec. divitias, in democratia sec. libertatem. & in aliis aliter.* Sic igitur secund. D. Thomam meritum in rep. est, esse ex primatib. in illa: & primatus est, illud habere, ob quod publicæ potestatis quispiam est particeps. Nam illud absolvit in democratia libertas, in Oligarchia divitiæ: istud enim censum instituit, aut gradum divitiarum, quem qui non obtinet, ab omni potestate publica excluditur: qui vero obtinet, capax est administrationum publicarum.

At vero hæc descriptio non perfectè exponit meritum, cujus explanatio modo quæritur. D. Thomæ in eo fortassis suffecit, cum per eam solum inferre admitteretur, justitiam distributivam progredi proportionem geometricam pro meritis personarum, & præmiis, quæ distribuuntur: non vero proportionem arithmetica, quæ locum habet in justitia commutativa, ut reducantur res ad æqualitatem quantitatis, non autem proportionis. Jam ostendam, quod descriptio allata non sufficiat pro præsentis proposito: nam capacem esse, quod in populari rep. libertas efficit, in oligarchia census præfinitus, meritum remotum est, respectu magistratum præcipuorum, etiam si respectu quorundam, ut Comitiorum apud Romanos, proximum esse possit. Sed nos quærimus meritum absolutum, & proximum magistratum in unum, etiam præcipuorum. Præterea D. Thomæ descriptio restringitur tantum ad magistratus: at alia bona sunt, præter magistratus, quæ distribu-



Atribuuntur, ut Triumphi, statuz, variz coronz civicz, obsidionales. Erant quoque nummi, & bona, quz non distribuebantur ratione tantum libertatis, sed observabatur certus gradus liberorum: nam nummi Theatrales Athenis non dabantur divitibus, licet omnes zque essent liberi: imo identidem meritum proximum capiendi quoddam bonum, quod ex publico datur, perficitur idoneumque fit per necessitatem, non ex dignitate. Exempli gratia Tiberius extulit non nullos Senatores, qui ad pauperiem tendebant, illis tantum largiens, ut attingerent censum Senatoribus constitutum, de quo Horatius dixit:

*Si quadraginta sex septem millia desunt  
Plebs eris.*

Ejusmodi distributio respiciebat indignitate Senatoria recessum ad pauperiem, quz sane non dignitas erat, nec primum, sed abjectio & imperfectio.

Alter modus exponendi & determinandi meritum, Platonis est, libro quarto de legibus: qui illud ponit in legum observantia. Verba ejus sunt: *Hac autem eam ob causam dicimus, quia nos tua in civitate non ideo magistratus alicui dabimus, quod dives sit, aut hujusmodi quidquam possideat, ut robur, magnitudinem, generis claritatem: ei vero, qui positis legibus parebit maxime, & hac in re ceteris in civitate prestabit. Decorum quoque cultum, & ministerium dabimus, maximum quidem primo, secundum v. illi, qui secundo loco excellit, eademque ratione sequentibus singula pro dignitate distribuemus.* Ceterum neque Plato loquitur, nisi de distributione magistratuum, non honorum ceterorum, bonorumque distribuendorum: neque etiam observantia legum complectitur integrum meritum magistratus: enimvero observantissimus legum Romanarum Scipio Nasica fuit, ideoque judicatus a Senatu civium optimus, ad eundem obviam deque navi accipiendam statuum Idez matris: (Liv. lib. 29.) nihilominus non fortassis merebatur prefecturam militiz adversus Annibalem, aut alium hostem potentem & periculosum, quod carebat ea ad militiam aptitudine, quz in ejusmodi casu desiderari potuisset. Quare judico, quod hzc meriti determinatio aptissime detegi possit doctrina quad. D. Thomz, quz est, quod meritum proveniat ex causa, propter quam boni propositi distributio est instituta. Ubi itaque disserit D. Thomas de respectu personz, quod vitium adversum est justitiz distributivz, ita scribit: (2. q. 63. art. 1.) *Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personz, propter quam aliquid, quod ei confertur, est ei debita.*



debitum, non est acceptio personæ, sed causa. Unde Gloss. super illud, Ephes. 6. Personarum acceptio non est apud Deum dicit, quod Deus iudex justus causas discernit, non personas: puta, si iudex aliquis promoveat aliquem ad magistratum propter sufficientiam scientiæ, hic attenditur causa debita, non persona. Si autem aliquis consideret in eo cui aliquid confert, non id propter quod id, quod ei datur, est ei proportionatum, vel debitum: sed solum hoc est, quod est homo, puta Martinus, vel Petrus: hic est acceptio personæ: quia non ei attribuitur aliquid propter aliquam causam, quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ. At personam autem refertur quæcunq; conditio non faciens ad causam, propter quam dignus sit hoc dono. Ex hac vera & singulari doctrina colligitur, quod causa examinanda sit, gratia cujus instituta est distributio boni propositi: & ex participatione illius meritum æstimari debet. V. G. Triumphus apud Romanos decretus erat in honorem ejus, qui debellasset inimicos: meritum itaque triumphi nascebatur ex ejusmodi victoria, & quo illa major erat, inimicq; victi potentiores, tanto excellens magis erat meritum triumphi. Ita in gratiam Pauli Æmilij Persei victoris, cujus triumpho impedimentum obiciebatur, Servilius differebat: (Liv. lib. 45.) *Et vos, inquit Gentium quam Persea duci in triumphum mavultis?* Et sensus erat: decrevistis jam tum, ut in triumphum ducantur Illyrii victi, quæ sanè victoria minor fuit, & relata de inimicis minus claris: quare constituere tantò magis debetis ut triumphetur de Maedonibus natione clarissima, de quibus parva victoria major fuit multò, ac etiam gloriosior. Qui itaque non in acie vicerat hostes publicos, non merebatur ullum triumphum: ut sane iniquus non modo, sed & jocularis fuerit Neronis triumphus, ob victos citharædos Græcos. Minus etiam decentes fuere triumphus Claudii, Octavio Caligulæ, & similes, (Sueton. in vitis illorum) qui ex fictis extiterunt victoriis, ejusque generis, quos descripsit Plinius in Panægyrico Trajani: *Spoiliis provinciarum, & extorto sociis auro triumphum gravem.* Posito itaque hoc fundamento, quod ex causa distributionis dependeat meritum, observandum est, quod aliæ largiantur res, ut ornamento sint illi, aut emolumento qui eas fert, aliæ junctas habent administrationes publicas, ut sunt magistratus. Quod ad generis primi, nonnullæ sunt, ut pro beneficiis in publicum collatis, & pro actionibus illustribus gratia referatur: ut de triumpho diximus, statuis & coronis: & meritum earum omne in eo consistit, quod quidquam peractum sit, quapropter in præmium hæc decretae sunt. Aliæ in au-

xiliam



xilium pertinent & sublevationem quorundam: ut subsidia, quæ pauperibus Senatoribus dabantur a Tiberio, & ut in nonnullis civitatibus egenis adolescentibus, sed ingenii magni, ex publico subsidia dabantur, ut litteris operam dare possent. Causa ejusmodi distributionis binas complectitur res, meritum nobilitatis, sive bonorum a natura datorum, ut ingenii præstantia &c. & indigentiam: & ex ambabus perficitur meritum subsidii: nam nec præstans ingenium, si divitiis abundaret, mereretur subsidium, neque pauper, si ingenio rudi, ejus capax esset. Certum est etiam nonnulla distribui in commodum privatorum, non observato a distributore merito altero, quam quod civis sit civitatis: causa enim alia nulla est, quam adjuvare cives ipsos. Et hujus meriti gratia distribuebantur plebi Atheniensi numeri theatrales, & Romanis congiarium, quale a Tiberio datum fuit septuaginta quinque Juliorum in singulos, & a Nerone Juliorum centum. Superest ut perpendamus meritum magistratum, quæ secundi generis bona sunt, quæ non solum ornamento sunt, adjumentoque illi cui dantur, sed administrationem continent publicam, & ad eam tanquam scopum præcipuum diriguntur. Meritum itaque hoc, capacem esse magistratum & cum primis præcipuorum, plura requirit, quæ tantum ad binas reduci possunt, cum sermo est de partibus ad meritum necessariis, quæ cum concurrunt, personam dignam efficiunt: at cum earum una deest, cessat meritum, ita ut per justitiam distributivam magistratus denegari debeat. Sunt post illa & aliæ non necessaria, quæ sui accessione adaugent meritum, at si deficient, non impediunt, quominus non juste liceat, imo non debeat non, si nihil præterea obstet, magistratus conferri. Explico me, & primo super necessariis partibus, quarum una conditio est, quæ in hujusmodi rep. dignam reddit personam capeffendi magistratus: velut in Democratiis liberum esse, & origine ex illa civitate: in Oligarchia census, aut præfixita æstimationis: & hodie Venetiis nobilem esse. Qui caret hujusmodi conditione: incapax est dignitatum, ideoque pars est necessaria meriti: altera pars necessaria facultas est exercendi dextre munus & utiliter in commodum publicum. Necto binas hæc conditiones dextrè & utiliter in publicum commodum, ut una hac conditione complectar tres ab Aristot. desideratas in illo, cui præcipui magistratus conferri debent; quas ille ita expressit: (lib. v. polit. cap. 9.) *Tria vero debent habere illi, qui principales magistratus sunt suscepturi. Primum, ut ament presentem civitatis statum: deinde ut habeant potentiam maximam ad exequenda, quæ magistratus requirit.*

P

tertium



tertium ut habeant virtutem, & justitiam in unaquaq; rep. ad ipsam remp. Et quoniam dubitari poterat, quid tertia op9 sit conditione, dummodo binæ priores in cive reperiantur, scilicet facultas idonea exequendi munus magistratus. & amor in remp. quapropter nunquam non coactus erit actiones suas in commodum publicum dirigere: ideo Aristot. dubium solvit exemplo incontinentis, qui quod ad utile suum, ipse cognoscit, quid sibi conducatur, velitque peragere, nihilominus cupiditate abripitur, ut diversum committat. Pari modo in utilitatibus reip. potest amator reip. impelli, ut adversum illud agat quidpiam, quod scit publicum esse commodum, quodque perficere potest, ob potiorem suam cupiditatem. Quemadmodum Massinissa, cui resp. Romana cordi erat, quique singulari dexteritate eidem inserviebat; nihilominus commotus est, ut Majestate Romana comitteret indignum, matrimonio sibi jungens Sophonisbam captivam amore nimio impulsus. Liv. lib. 30. Ut itaque de nobismetipsis non satis tuti sumus, ut id agamus, quod commodum nostrum esse credimus, si virtute non simus instructi, quæ in nostrum commodum franet excedentes nostras cupiditates: ita civis ad publica commoda virtute opus habet, quæ tali pacto in remp. confirmet, ut nulla cupiditas eum flectere possit, ut agat adversum illud, quod deprehendet in publicum vergere commodum. Hac virtute destituebatur Callicratides Lacedæmonius, qui se vinci patiebatur nimia gloriæ cupiditate, ut dimicaret cum Atheniensibus impar illis viribus, maximo istius civitatis detrimento. Cic. lib. 1. off. At vero satis ea dotatus erat Q. Fabius Maximus, qui neglecto militum clamore, ac ipsius quoque Magistræ equitum, posthabita etiam indignatione propria, ob injuriam a Senatu sibi illatam, quod imperium Magistræ equitum suo adæquassent, gloriæ cupiditatem stimulumque vicit, cum nollet unquam cum Annibale decernere, nisi cognita oportunitate, simulque necessitate servandi alterum exercitum a se semotum. Sed redeo ad præcipuum propositum. Parte secunda constituta a me necessaria meriti, animus fuit per annexas particulas rectè & utiliter omnes tres conditiones Aristot. completi: at vero si cui distinctæ magis placent, is secernat ipse. Affirmo itaque, quod deficiente prima aut secunda conditione, non justè conferri potest magistratus, cum primis si sit præcipuus & gravis. In Sacris exprimuntur binæ hæ necessaria meriti partes, at secunda in alias iterum divisa. Verba ipsa audiamus: Exod. cap. 18. *Provide autem de omni plebe,* (ecce prima meriti

pars,



pars, scilicet capacem esse, quod tantummodo hinc proveniebat, quod ex tribubus essent Israelis) viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam. Hæc pertinent ad facultatem exequendi recte iudicii munus, & magistratus. Etenim primo prudentia requiritur, quæ est facultas cognoscendi verum, & bonum: at sæpenumero iudicium conturbatum est, etiam prudentissimorum ab animi affectibus, præcipue carnalibus quare timor Dei exigitur, de quo dicitur, *timore tuo confige carnes meas*, Psalm. 118. At postea quoque ac cognitum verum est & rectum, nihilominus eligi potest pars adversa, ob habitum depravatum: quare habitus iustitiæ desideratur, cujus ergo non recedat a veritate activa cognita, *in quo sit veritas*, videlicet opus erat præsidio adversus causam externam, communem & frequentem, & potentem, quæ illa est munerum, ut corrumpantur iudices, de quibus donis tritum sermone proverbium est, *non capias, ne capiaris*, & ideo addit, *qui oderint avaritiam*. Tandem continetur facultas perficiendi ea quæ muneris sunt, prudenter, eaque administrandi rectè & in commodum publicum cum trib. ceteris recensitis rebus. Jam tot sunt & huiusmodi partes necessariae meriti perfecti, præcipue propter magistratus graves & in usu. pro exemplo sit illud T. Otacilii, Liv. lib. 24. qui cum jam a primis tribubus consul dictus esset, Q. Fabii oratione, qua ostendit eum non esse parem ferendo magistratui tam gravi, temporibus adeo periculosis, rescissa fuit & reprobata electio. Ceterum est quidquam hic præterea, quod exornat, & adauget meritum, ita ut multo iniquius magistratus eidem denegaretur, quo tamen remoto nihilominus civis dignus eo munere perficit. Idque beneficium est, aut beneficia in publicum collata. Nam si jungatur binis ceteris partibus necessariis ad meritum, id adauget meritum, animosque parat ad civilem gratitudinem. Ejus rei exemplum habemus in historia Veneta P. Bembi de Hieronymo Sarorniano, cujus familia prisca concessione jam inter nobiles Venetos recensebatur. Hic cum præcipuus existeret apud Foro-Julientes & magna clientium manus stipatus, in reip. commodum strenuè se gessit, illato illi bello a Maximiliano & fœderatis. Hinc in electione Rogatorum sive senatus, cum etiam de illo in senatorium ordinem cooptando deliberatum esset (secundum formam illius reip. revocandi quotannis Senatores ad censuram) majori benevolentia, quam ullus nobilium indigenarum electus est: res insueta. p. 219. Verba ipsa Bembi pono. *Eum, inquit, is honorem adeptus est, atq; ita quidem ade-*



ptus, ut omnes cives principesq; civitatis suffragiorum numero vicerit: quæ res antea nunquam acciderat. Sed & eadem resp. insigni gratitudine compensat filius merita parentum. Ita nostris temporibus meritum Augustini Barbarigi Epaminondæ Veneti filio portam patefecit ad consequendos supremos honores, usque ad summam præfecturam classis navalis, ut quoque ille opere ipso ostendit sua virtute eo se honore esse dignum. Et tantum dixisse sufficiat de merito ratione publicorum bonorum quæ distribuenda sunt. Et ex dictis elucescit, verissimum esse quod ait Aristot. lib. 5. Eth. c. 3. dignitatem non esse eandem in omnibus rebus, cujus verba retuli capite præcedenti. Tum quoque in ead. civitate etiam respectu variorum bonorum, meritum diversum esse, cum scilicet, etiam causa distributionis discrepet. Nec quod ad eosdē magistratus idoneā facultatem exercendi munus commissum eandem esse, ob insignem varietatem functionū, cum alii in pace, alii in bello, alii in judiciis, alii in consultando, magis occupati sint, & horum alii in colligendis nummis & augendis redditibus vel conservandis, alii in comparanda annonæ abundantia, & alii in aliis differentibus negotiis.

### De merito respectu onerum.

#### C A P. XXXVIII.

**Q**uantum ad onera, meritum, sive potius causa, quæ civem reddit obnoxium indictioni, in onerum diversitate ferenda, non est eadem. Alia onera realia sunt, alia personalia, alia mixta, & cujuslibet impositio ex diversa pendet causa. Ratio imponendi onera realia, petenda est ex censu divitiarū, & secundum earum proportionem exæquandum etiam cujuslibet tributum. Id hodie observatur in locis quæ benè administrantur, idemque jubet lex civilis: *civilia munera per ordinem pro modo fortunarum sustinenda esse. Cod. de mun. patrim. lib. 10. l. 1.* Florentiæ principio dabantur pro familia, quod Cesenæ dicebatur præseco more pro fumo solvere, loco ejus, quod alibi dicitur pro foco. At temporibus Joannis Medicei, patris Cosmi Magni, introductus fuit census, cum Joannes ipse detestabatur commodi publici causa modum qui ante fuisset, ut tantum persolverent pauperes, quam divites: quæ solutio ex censu nihil

MOCC-



noceret suo ipsius commodo, cum tamen ob divitias excedentes modo novus onus sibi ipsi admodum auget. Hic æquus maxime & securus modus est. Bononiæ æstimatio non reperitur, at solvitur pro iis quæ importantur vectigal, scilicet pro quolibet curru frumenti, cannabis, vini & sic pro ceteris quæ importantur certa summa: qui modus fraudibus magis patet, & ansam dare potest, ut propter vectigal effugiendū, merces extra portas retineantur: ut frumentum, & vinum; & de frumento cum primis minus tutum est ob annonam; sed hoc pertinet ad prudentiam magis, quam ad justitiam. Quantum ad justitiam, satis est onus reale exæquari facultatibus. Vectigalia dehinc & tributa, de rebus pendenda; quæ ex alienæ ditionis dominiis locisque in urbem feruntur, aut transeunt ad urbes alias, aut ex urbe nostra & territorio petuntur, ut aliorum deducantur, multum discrepant inter se. Enimvero illa vectigalia, quæ penduntur propter transitum, publico conducunt, sine molestia civium singulorum: at illa, quæ penduntur pro mercimoniis illatis usui civium necessariis, cum emptorum onere solvuntur: nam mercatores, qui ea inferunt, ab emptoribus reposcunt vectigal, quod penderunt ipsi cum inveherent. Qua ex re sæpius contingit, civem minus divitem, at ampliore familia, onus sentire magis ditioribus: cum opus ei sit comparare rerum earum numerum majorem. Vectigal quod pro exportandis mercibus persolvitur in detrimentum cedit venditoris: enimvero mercator pro mercimoniis tanto minus dabit, quantum vectigalis pendet. Nihilominus hac in parte onus fit proportionatum magis ad divitias: nam communiter merces quæ exportantur, venundantur majori quantitate ab eo, qui facultates possidet majores, ideoque a ditioe: ita ut respectu proportionis desideratæ a justitia distributiva, cautum esse admodum oporteat in imponendo vectigali rebus necessariis, quæ aliunde in urbem ob earum penuriam invehuntur. Dico *necessaria*, nam quæ ad luxum pertinent, cum ab iis tantum coemantur, quibus superest, non subeunt idem periculum iniquæ proportionis. Et si minus divites eas comparant iniqua proportione, istud voluntarium, non necessarium est, & effectus imprudentiæ istorum, sive prodigalitatis, non iniquitatis publicæ. Sit tandem summa rerum, quod ratio onerum realium debeat proportione respondere facultatibus onera subeuntium, & quod ea propter Principes & resp. perparci esse debeant in concedenda exemptione magnatibus ab oneribus realibus: corrumpitur enim proportio justitiæ, & eorum portio pauperibus imponitur. Hinc communis lex civilis jubet neminem ab oneribus realibus exemptum esse



debere. (Cod. lib. 10. de mun. patr. l. munera, & l. qui immunitatem. Cod. de excuf. muner. vel maxim. lib. 10. l. honor. ff. de mun. & honor.)

Quod ad onera personalia, alia eorum sordida sunt, & abjecta, alia illustria, ut magistratus, & munera publica, quæ interdum ejus loco quod expecti debeant, molesta fiunt, & omnibus viribus declinantur. Ita Decuriatus tempore Imperatorum fugiebatur: quare multas leges videre est, quæ jubent, coguntque suscipere & sustinere ejusmodi munus. Quod ad onera vilia sciendum est, quod a subditis exigat eorum quædam resp. gratis, alia compenset. Quæ compensantur, non reputantur inter onera, at vero illa quæ gratis sustinentur. Jam horum, quæ artificiosa sunt, ratio imponendi ex arte fluit: scilicet opus scriniarii non imponendum est fabro ferrario, sed cuilibet artificio suum: opera dehinc quæ robur virium postulant, velut terram ferre, vias reficere & facere planas, & ejusmodi labores similes robur & conditio abjecta constituunt rationem eos imponendi (Bartol. Cod. de S. S. eccles. lib. 6. n. 17. Bart. l. 6. C. de. S. S. eccles. lib. 9. de mul. in quo loco leg. 3. n. 6. Graf. cod. de sacros. Eccl. l. 6. seu l. placent n. 1. & seq.)

Quod ad onera mixta, ex simplicibus cognoscitur, quid de illis sit dicendum. Et dico, non institutum meum fuisse, nec etiam opus esse examinare hic omnia ea, quæ posita illorum divisione, hac de re differunt Jcti. Tale itaque fundamentum est Justitiæ distributiæ, sive rationis onera imponendi, quam adhibet. Sed hæc justitia aliud supponit justum, estque justitia illius quarti, quod pro rep. de privatis colligitur, pro qua indictione, ejusque æquitate plurima tradita sunt a sacris & profanis scriptoribus. Sed repetam fundamentum jam ante positum naturalis reip. originis, quod est pro translatione Jdictionis in se ipsos, concessa ab iis qui una coiverunt, ut viverent in societate civili sub illis, quibus tradidere munus regendi, ut tuerentur personas & facultates, non ut ex canibus facti lupi in sui commodum, omnia converterent, existentes tali pacto *Populivori Principes*, ut inquit Homerus. Quo ex fundamento colligitur, quod justè nequeat imperans aliud tributum imponere subditis, quam quod ipsi liberi existentes, & utentes prudentia ob commodum publicum essent comprobaturi. V. G. Si obsessi forent ab inimico barbaro, aut si ab eodem bello petiti essent, in quo si victi forent, amissuri essent vitam, facultates & honorem, sane prudenter homines consensuri essent propter defensionem a deo necessariam in commune, conferre pecunias, bona & personas. In obsidione Messinæ facta a Carolo primo



primo rege Neapoleos foeminae & nobiles & pueri studebant muros reficere tormentis dirutos; quod cantilenæ originem dedit: (Joann. Villanus lib. 7. c. 68.)

<i>Deh com egli e gran pietate</i>	<i>Vah quæ commiseratio magna</i>
<i>Delle donne di Mesfina</i>	<i>Fœminarum Messarensum.</i>
<i>Veggendo le scapigliate</i>	<i>Videndo illas turbatis comis.</i>
<i>Portar Pietre &amp; calcina.</i>	<i>Ferre saxa &amp; calcem.</i>

In ejuscemodi casibus itaque, paribusque bellorum generibus, Princeps plena auctoritate est: at in bello ex lubricitate, aut propter similitudinem, & minutias, aut privati tantum commodi causa suscepto, illius qui imperat, non populi qui regitur, ut erat illud inter Antonium & Octavianum, æqua erat Italici causa conquerendi de extorsionibus quas tum faciebat Octavianus, quas Plutarchus recenset, ubi de illo ita loquitur: (In vita Anton.) *Etenim multa eum deficiebant, & homines pungebant pecuniæ exactiones. Compulsi enim alij quartam partem fructuum, libertini ipsarum possessionum octavam partem pendere, detestabantur ei. Unde tumultus totam occupavit Italiam.* Et Belgicæ Provinciae Carolo Audaci auxilium denegaverunt adversus Helvetos similem ob causam. Comin. lib. 2. hist. Otho immortalem sibi peperit gloriam, quod sua morte bellum cum Vitellio finire cupiebat, quod gerebatur non damni vel publicæ salutis gratia, sed quis eorum imperium habere deberet. Ille quidem poterat redintegrare bellum, secundum illa Taciti lib. 2. hist. *ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis & victoribus:* at ille putabat haud decere sui gratia in periculum mortis conjici tam florentem & validam gentem: *An ego tantum Romanæ pubis tot egregios exercitus sterni rursus, & Reip. eripi patiar?* Populi Italiae, pertinaciam Romanorum in gerendo cum Annibale bello, reputarunt respectu subditorum utilitatis esse incivilem: quæ de causa censuerunt duodecim colonias negare reip. milites & stipendium. Nam, *si consentientes, dixerunt, in hoc socios videant Romani, profecto de pace cum Carthaginensibus jungenda cogituros.* Liv. lib. 27. Compertum tamen est, quod perseverantia contendebat, & eo pervenit, ut Italiam faceret Dominam aliarum provinciarum, At tamen bella quando propter existimationem & gloriam suscipienda sunt, non gerenda sunt nisi ab illis Principibus, qui per suas ordinarias facultates & mediocres impositiones bellum gerere possunt: veluti Romani victis Carthaginensibus, & domita Italia omni, post illa fecerunt: & pariter Alexander



der adversus Persas. Hæc posita doctrina ab Anglis facta confirmata est: nam tributa augeri nequeunt, nec innovari, absque Statibus eorumque consensu. Convenit denique regula tradita cum dicto primum a Tiberio prolato, quod jam in ore est omnium, quod oporteat *tondere pecus, non deglubere*. Eodem modo onera personalia imponi debent moderatè. Etenim si quæcunque opera manualia, quæ in Rep. obveniunt, illa confici vellet per onera personalia, ut juberet modo, nec ideo solveret quidquam, nimis gravarentur opifices, qui laboribus suis vivunt. Quare boni principes solvunt & pro labore, ob commoda suæ domus & familiæ, & pro opificiis. Ita videmus Papam, se in omnibus gerere, quæ ad suam spectant personam, familiam & palatii necessaria. Idemque agunt ceteri Principes, hujus nominis digni. Non desunt nonnulli heruli oppidulorum, qui sinunt quævis servitia sibi fieri, vineas coli, ligna findi, ferri quæcunque sine mercede ulla, ex solo mandato: quod sane est tyrannidem in signem exercere in exigua Jurisdictione.

*De Pœnis, & quomodo pertineant  
ad Iustitiam distributivam.*

CAP. XXXIX.

**D** pœnas venio, de quibus principio ambigitur, ad quam pertineant justitiam, utrum ad commutativam, an ad distributivam, an ad quandam, quam nonnulli ponunt tertiam, & appellant vindicativam. Ego in mea morali Hygieine, cap. 13. l. 19. hoc est, de sanitate, ad quam lectorem remitto, distinxi, quod delictum læso attribuat binas actiones circa reparationem damni accepti, alteram civilem, alteram criminalem. V. G. In furto, illi, cui res ablata est, nascuntur adversus furem binæ actiones, una civilis, præstare scilicet, ut ablata res illi reddatur: altera criminalis, quæ est, ut ferat quater tantum, quam valor est ablatæ rei. Et ambæ hæ actiones justitiæ sunt commutativæ; quæ in eo versatur, ut satis fiat cunctis obligationibus ex contractibus ortis, vel spontaneis, vel involuntariis, & inter involuntarios delicta sunt, & quasi delicta. Et quatenus pœna complectitur hanc satisfactionem per restitutionem vel simplicem, vel mul-



multiplicatam, est illa propter debitum privati privato, & spectat ad justitiam commutativam: at vero quatenus pœna irrogata est ad exemplum, improbis, ut deterreantur a similibus delictis, publica est, spectatque tum ad justitiam distributivam, quæ consistit in distribuendis rebus publicis, si-  
 ve bonis, si-ve pravis, proportionem debitam, pro merito, vel culpa personarum, & gratiæ vel pœnæ publicæ, quæ inter illos distribuuntur. Etenim ostensum est tali proportionem uti hanc justitiæ speciem: ut justitia commutativa excluso respectu personarum sua natura procedit, ut inferius dicitur. Ideoq; quod ad procurandam restitutionem rei furto ablatæ, si læsus actione civili agit, aut ad curandum ut solvatur quadruplum, si criminali, Judex æque coget nobilem si furtum commisit, ac plebeium: nam una & altera actio spectat ad justitiam commutativam, eoque respectu illi delicta attribuit Aristoteles lib. 5. Eth. cap. 2. sub finem. Sed quantum ad illam partem, cui commissa est pœna ex publico, quod est, punitio exempli publici ergo, qua ratione pertinet ad justitiam distributivam, includit una cum delicti examine etiã personæ respectum: idem enim delictum in excelso dignitatis fastigio posito punietur pœna leviori, etiam in pœna mortis, dignior minore afficietur ignominia. Dixi, si in excelso dignitatis fastigio fuerit collocatus: nam in gradibus privatæ nobilitatis, licet inter se diversis, etiam si quis exiguam possideat Iudicium, & titulum, non propterea inæqualis irrogabitur pœna: sed collocatis in excelsis dynastiis, & insignibus publicis dignitatibus, diversa imponetur pœna. Utar modo ut hæc comprobem auctoritate solum & exemplis. Itaque lex civilis sic statuit: Venenarii capite puniendi sunt, aut si dignitatis respectu agi oportuerit, deportandi: ff. de pœnis l. capital. §. & ut generaliter. Et alibi jubet, ne Decuriones aliæque personæ præcipuæ puniantur propter delicta sua pœnis ordinariis, priusquam principi super hac rescriptum sit, & ille quid fieri velit, jusserit: & pariter vult ut cum eximiis artificibus pœna agatur paulo mitiore. Cod. de pœnis, l. divi fratres. L. ad bestias, ff. de pœnis. Exempla dehinc reperiuntur non pauca. Ex recentioribus illud est Senatus Veneti, interfecta Victoria Accorombona, conjuge olim Pauli Jordani Ducis Bracciani: quæ Patavii jussu Ludovici Ursini occidebatur, ubi transigebat noctem cum familiaribus suis maximè honestæ conditionis, quos ille ducebat secum ornatus insigni munere a rep. Jam delicto detecto, omnes capti sunt, & ipse cum aliis una; cæteri, in publico suspensi sunt patibulo, ipsi gula in carcere fracta est, ob familiæ am-  
 plitu-

Q

plitu-



plitudinem, & merita antehac in Dominium collata. Ordinavit Artaxerxes, ut sui Satrapæ, si quid delinquerent, propter quod lege debebant transgressores fustibus cedi, plecterentur ita, ut eorum vestimenta cederentur flagris: & ubi ceteris pro pœna erat pilorum evulsio, ipsi loco ejus ponerent tiaram. Videmus quoque communiter plurima delicta, quæ laqueo puniuntur in plebeis, in nobilibus gladii supplicio puniri, tanquam morte minus ignominiosa. Joannes Pipinus Comes Minerbinus conquestus est apud regios ministros Neapoli, quod se ad furcam condemnassent, dicens, non ea esse se ortum stirpe, ut suspendi posset: & si plane mortem promeruisse, amputarent sibi caput. Carolus Secundus publicè supplicio vitæ affectit Conradinum Suevum, & Ducem Austriæ bello captos. Sententia (pono verba Joannis Villani) admodum reprehensa fuit a Papa, suisque purpuratis & a cunctis prudentibus: etiam si Bodinus infensus Pontificiorum hostis dicat, quod suaerit Romanus Pontifex. (p. mihi 339.) Imo ipse Carolus tacite iniquam fassus est, quando patiebatur Judicem recitata sententia ipso præsentente a genero occidi: imo etiam laudavit. Hæc sunt verba ipsa Villani: Judicem qui Conradinum condemnabat, Rubertus filius Comitum Flandriæ, & regis Caroli gener, lecta mortis sententia, punctim petiit, dicens, quod illi minime licebat condemnare tam excelso loco natum virum. Ex quo ictu iudex subito mortuus rege intente concidit, nec ulla eapropter fuit postulatio. Enimvero Rubertus plurimum valebat apud Regem, visumque eidem est, ceterisque primatibus, quod officio viri generosi functus esset. Ceterum si iudex, qui instrumentum erat, male egerat, quid de Carolo statuendum, qui præcipuus motor & auctor extiterat? Cædes Tobumbei Soldani Cairi jussu Selimi peracta procul dubio tyrannica erat. Romani, licet acerbè incensi essent Regem Jugurtham, nihilominus non publicè e vita sustulerunt, & carnificis opera: licet nihilominus forte illius mors severior esset, quam conveniebat regi bello capto. Nullum tam grave est delictum, propter quod Purpuratus quispiam restim promereatur: talis, tantaque est hujus ordinis dignitas. Ab Alexandro Severo habita fuit Senatoria dignitas illo tempore major, quàm ut ullum propter crimen capitis condemnari posset: & ita juravit, & jurisjurandi ergo laudatus fuit. Sed quid multis? sola dignitas, civem esse Romanum, supplicio vitæ eximit lege Portia, aliisque, ut testatur Cæsar oratione sua de conjuratis. Concludamus, justitiam distributivam delicta quæcunque punire, sed quadam pœ-

narum



narum disparitate, ob insignem disparitatem conditionis personarum delinquentium. Quæ si forte satis perpendisset Dux Albanus, non temere in conspectu omnium vita jussu suo curasset privari, Principem Egmondum & Comitem Hornanum. Facinus, quod commovit supra modum regiones illas Belgicas omnes, propter insuetum supplicii genus in Principes magnæ existimationis. Hæc itaque summa est: ut pœnæ spectant ad justitiam distributivam, quatenus publicæ sunt: ita quoque, quod in pœnis dictandis, quatenus publicæ sunt, qualitas etiam personarum attendi debeat, ita ut quodammodo inæqualiter illæ imponantur, ubi personarum inæqualitas ad notabilem discrepantiam accedit. Superest pœnarum ratio in universum, earumque mensura, tam propter delicta varia, quam propter diversos gradus ejusdem delicti: quæ ratio basis & fundamentum est, supra quæ justitia distributiva fundat suam distributionem secundum proportionem.

*De ratione irrogandi pœnas earumque gravitatem.*

CAP. XL.

**R**atio imponendi pœnas procul dubio delictum est. Ideoque castigare eum, qui non delinquit, injustitia est, & crudelitas digna supplicio magno. Seneca, (lib. 1. de Ira, cap. 16.) exaggerat merito Pisonis crudelitatem, qui sola suspitione ductus, quasi miles commilitonem suum interfecisset, sine quo redierat, duci ad supplicium ipsum iussit. Cum jam cervicem porrigeret, subito comparuit ille commilito, de cuius morte dubitaverat Piso. Centurio supplicio præpositus, condere gladium spiculatorem jubet: innocentem militem damnatum ad Pisonem reducit. Hic duci jubet omnes tres: damnatum, quod in ipsum jam lata esset feralis sententia: militem, cuius mortem veritus erat, quod in tempore non esset reversus, eaq; propter causa damnationis commilitoni fuerat: & centurionem, quod non fuisset dicto obediens. Et ita, inquit Seneca, *excogitavit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat.* Proscriptio Romæ a Triumviris facta, quæ in quibusdam paucis privatam vindictam



loco delicti spectavit, in pluribus divitias ipsorum, ut facerent suas, dicemusne injustitiam, an feritatem? Certè Ariostus non satis expressit, quando iniquam vocavit, dicens:

*La proscrittion iniqua li perdona, Proscriptionem iniquam dimitte illi.*

Nonnulla peccata contra legem sunt, sed contra legem iniquam: quæ alias sua natura actiones sunt, vel indifferentes, vel nonnunquam virtuosæ: quæque ideo non merentur castigationem, at recte mereretur lex, ut penitus aboleretur. *Admovere manum matula* (qui in digito anulum habet, cui imago sit insculpta Imperatoris) tempore Tiberii crimen erat læsæ Majestatis, quæ actio tamen erat indifferens. Patrem licet proscriptum domo excipere, ut illi porrigantur auxilia necessaria, actio justa est, & pietas filialis: nihilominus nonnullæ leges in odium proscriptorum capitis condemnant filium talia facientem. Quæ pœna meritò ita accipi deberet, si nimirum proscriptus animo nocendi principi, vel patriæ rediret, & filius ei in tam pravo fine ferret suppetias. Alias lex puniret actionem ex justitia fluentem, & pietatem lege naturæ inditam, & divina imperatam, *Honor parentes*. Ideoque iniqua foret castigatio. Oportet itaque, ut delictum sit commissum, si pœna æqua esse debet: & quidem ab eodem, qui damnatus est, non ab aliis, qui nec sub ipsius sint potestate, nec cura, ut propterea vel possit, vel debeat illos coercere. Eam ob causam pœna, quam toti illustri familiæ Florentini imponebant, quod unus ex familia occiderat popularem, iniqua erat, & lex quæ dictabat eam injusta. Modum scribit Joannes Villanus, & præterea recenset primam executionem hæc verbis: Et primus dictorum Consulum fuit quidam Baldus Ruffolus de valvis templi Cathedralis, & suo tempore exhibat cum vexillo & armis ad evertendos fundos certæ familiæ dictæ Galli de portis D. Mariæ ob homicidium, quod unus ex eadem perpetraverat in persona cujusdam popularis in Galliæ locis. Lex est in quibusdam principatibus, qua jubetur, ut propinqui caveant de securitate, ne qui ex sua familia missi sunt in exiliū, itinera vel agros infestent, etiamsi nulla iis sit potestas id ipsis prohibendi. Et identidem in exilium pulsi infortunium cupiant relictorum in civitate, quod subsidia legibus vetita ipsis denegent. Sit itaque conclusio prima: quod pœna nullus afficiatur, quam qui delictum commisit, vel ipse, vel per alios, cum quibus scilicet admisit, vel quibus, cum potuisset, & valuisset, non prohibuit. Superest ut determinemus rationem magnitudinis & modi pœnæ. Sit itaque axioma, quod graviori peccato, si ceteri respectus pares sint, gravior debeat



debeatur pœna: quod confirmat D. Thomas (1. 2. q. 105. artic. 2. ad 9.) & ante eum D. Augustinus. Sed peccatum, vel gravius est respectu suæ speciei, ut homicidium gravius est vulneratione: vel respectu magnitudinis læsionis ejusdem speciei: ut furtum pomi unius longe minus peccatum est furto bovis unius: vel respectu dispositionis animi propter quam peccatur, hoc est, vel per ignorantiam, vel animi affectum, vel electionem, vel propter habitum ejusdem vitii, vel ratione personæ, quæ peccat, & adversus quam peccatur. Ratione personæ quæ peccat, gravius est peccatum furtum a divite, quam mendico commissum: ratione personæ læsæ, majus peccatum est percutere magistratum, quam privatum. Ex ignorantia qui peccat, si ignorantia emendari nequit, pœnam nullam meretur: at si emendari potuisset, evenitque propter negligentiam admissam in quærenda debita cognitione, pœnam meretur, minorem tamen ordinaria, modo non sit ignorantia planè affectata. Lex Aquilia plectit, attamen pœna extraordinaria non ordinaria, eum, qui cum se exercet in sagittando, aut jaculando arma alia in locis, per quæ iter faciunt homines, imprudenter occiderit quempiam, quem demum cognosceret sagitta missa aliove telo. At si in loco solitario se in armis exerceret, remotoque ab hominum consortio, aut in loco ad exercitia constituto, nullius pœnæ esset reus.

Quod Cephalus telum conjecerat, ubi nunquam versari solebat ullus mortalium, propterea insons fuit crimine mortis Procri illatæ, latenti sub frondibus, quam feram esse crediderat. Ovid. Metamorph. 7.

*Sum ratus esse feram, telumq; volatile misi*

*Procris erat.*

Hæc tantum hic profero, insistens iis aliàs, quæ fusè differui de peccato per ignorantiam, in parte morali pathologica, & primum in parte Hygiænes. Illuc remitto quicumque cupierit hac de re sententiam meam scire. Peccatum per ignorantiam sequitur illud ex animi affectu, quale peccatum graviorem meretur pœnam illo ex ignorantia commisso. Est tamen minus illo quod committitur ex proæresi: quod Philosophi morales (Arist. lib. 5. Ethic. cap. 8.) fatentur, unaque Theologi, qui etiam vocant peccatum ex infirmitate, quod minus esse ajunt illo ex malitia, quod est illud ex proæresi perpetratum. Resp. Veneta in homicidiis discrimen facit inter casum purum, quod est homicidium ex animi affectu commissum, & casum deliberatum, quod est homicidium ex proæresi perpetratum, & diversimodè u-



trumque punit. Et revera discrimen hoc & punitio digna est prudentia tam gravis Senatus. Est quoque sanctio eadem Platonis lib. 3. de Legibus, ubi consilio & ex proceresi necanti hominem poenam mortis irrogat: at vero qui repentina ira tantum occidit, solummodum exilium imponit biennale. Lex etiam communis solummodo maritum exilio plectit, conjugem necentem in flagranti adulterio comprehensam, quando occisor persona est conspicua: at plebeiam ad fodinas condemnat, eximendo unum & alterum poena vitæ: estque ratio, *quod difficillimum sit, justum dolorem temperare.* Ita ait lex ipsa ab Imperatoribus Antonino & Marco lata: quæ post illa a Justiniano fuit confirmata. Ita quidem ut hoc modo approbent (minimum implicitè) morem consuetum Venetorum. Et Jurisconsulti communiter idem comprobant, ut fatetur doctissimus Tiraquellus. At peccatum ex proceresi, integram meretur poenam lege impositam: hoc est, homicidio proposita est poena mortis, & vita privandus est, quisquis ex proceresi occidit. Hi itaq; tres gradus sunt peccatorum, ex ignorantia, ex animi quodam affectu, & ex proceresi, quorum alterum etiam peccatum ex infirmitate dicitur, & tertium ex malitia, quibus gradus poenarum respondent. Ceterum D. Thomas (1.2. q. 105. artic. 2. ad. 9.) his tribus gradibus, quos quoq; numerat, addit quartum, estque peccatum ex protervia & pertinacia. Verba ipsa pono: *Quartus autem gradus est, quando peccabat per proterviam, & pertinaciam: & tunc quasi rebellis, & destructor ordinationis legis occidendus erat.* Ut ita quartus modus significet pertinacem contemptum legis: qui habitus pravus injustitiæ legalis, tamquam omne genus continens vitiorum, (quemadmodum justitia legalis complectitur omnes virtutes) adeo nefandus est, ut operationes exinde provenientes, licet non morte puniendæ forent, si ex vitio proprio fluerent, at nunc cum proveniant ex vitio adeo adversante vitæ civili optimæ, morte puniuntur. Quemadmodum meretricibus vacare & crapulæ, sua natura in adolescente non est peccatum, morte dignum, attamen commissum ex habitu contemptus & neglectus paternarum admonitionum, antiqua lege ideo juvenis condemnatus fuit, ut lapidibus obrueretur. Audiamus verba S. scripturæ. (Deut. cap. 21.) *Filius noster* (hæc erant verba parentum ad Seniores civitatis) *protervus & contumax est: monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuria atq; conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur.* Et D. Thomas ita exponit locum illum, *Filius autem* (inquit,) *contumax,*



*max, non quia bibeat & comedebat, occidebatur, sed propter contumaciam, & rebellionem, qua semper morte puniebatur.* Progredior ad personarum circumstantias. Respektus itaque personæ auget delictum, idque incrementum interdum immutat peccati speciem. Ita persona Sacerdotis peccatum fornicationis facit ut sit sacrilegium, & patris persona ut incestus sit. Aliàs non mutat speciem, sed plurimum adauget. V. G. Si nobilis prodicionem committat, in bello turpiter se gerat, latrocinia peragat, hæc peccata omnia graviora ab illo commissa putabuntur, quam si plebejus admiserit vilis: enimvero magis repugnant officio nobilitatis, quam plebeio: licet in ambobus delictum sit, quod ubiq; rationi adversentur. Advertere tamen oportet, quod, cum dixerim superius, in personis majoris conditionis quadatenus pœnam mitigandam esse, intellexerim si par sit delictum, minime vero ubi dignitas auget sua natura illud peccatum, tum enim dispar sit delictum, ideoque etiam pœnam meretur graviolem. Quare bene dixit Baldus, quod proditor nobili prosapia, non solum laqueo, suspendendus sit, sed & è patibulo eminentiore, atque idem observari in regno Gallia, nec inficiatur Tiraquellus æque Gallus. Paucis abhinc annis deprehensus fuit nobilis magna prosapia, qui in urbe degens sinebat satellites suos in viis publicis latrocinari, reversi vero prædam dispertiebantur, cujus ille partem capiebat velut capitaneus, libroque inscripsit accurate admodum rationes prædæ & distributionis. Sed detectus fuit, iussitque Dux suspendi illum, cumque rogaretur, ut velit illi caput gladio amputare, quod esset nobilis, respondit, se non nobilem iussisse suspendi, sed latronem. Et hæc ratio fuit quare pariter laqueo periit Comes Minerbinus & Paladinus de Altomuro supra citatus.

Non tamen assero, quod peccata omnia augeantur ex præstantia personæ, imo nonnulla leviora fiunt, eaque sunt, ad quæ celsitudo præbet incitamenta. V. G. Quod nobilis injuria affectus gladium stringat, suæ vindictæ gratia, peccatum levius est, quam a plebeio si idem fiat: nam elatus spiritus viro nobili potius competit, quam ignobili, quæ præstantia incitat illum ad sui vindictam. Ad peccatum carnale pariter incitamentum habet majus nobilis propter commoditates suas externas, quam ignobilis occupatus in victu sibi quærendo, ideoque peccatum levius est in illo, quam in hoc, si hisce illecebris libidinum irretiat. Sit conclusionis loco, quod circumstantia personæ adaugeat peccatum, quando conditioni suæ intercedit repu-  
gnan-



gnantia singularis cum peccato: quemadmodū Sacerdotali conditioni cum impudicitia: militi cum metu, Judici & principi cum injustitia, quorum ille interpret est, hic custos justitiæ: & quæ sunt talia. Magis si scandali respectus accedat, hoc est, quod exemplum valeat inducere plebem, ut idem peccatum committat.

Circumstantia personæ adversus quam, aut cum qua peccatur, etiam ipsa adauget peccatum, quando conditio istius exigit a peccante diversam dispositionem ab actione quam peragit. Exempli gratia, Magistratus meretur ut subditi revereantur, & tueantur illum, idemq; pater, mater, majoresq;: Jam, qui ejus loco quod revereri, tuerique eos debeat, lædit, meretur pœnam graviolem, quam si eadem injuria alios affecisset. Pariter frater & propinquus amandi sunt, & defendendi, jam eos necare, aut ferire, peccatum gravius est, quam si feriat alienum, qui ad id tenetur. Pudicitia matris erga filium, sororis erga fratrem, filia in patrem summè cordi esse debet, & custodiri ab iisdem debet fervore insigni. Jam qui horum violator est, meretur castigationem singularem. Et licet in occulto fiat, paucisque pateat, æquum tamen est, ut pœna gravissima sit, minimumque illis nota, quibus peccatum est cognitum, ut tollatur quantum potis est scandalum. Sed de hac re sequenti agam capite. Sufficiat tantum hoc dixisse de mensura respondentis pœnis. Superest differamus de eadem mensura, eandemque colligamus, ex fine pœnarum.

### ANNOTATIO:

Janus Labella (Leon. Aret. lib. 4. hist. Florent.) in sua Oratione ad populum Florentinum auctor fuit, ut pœnæ pro maleficiis graviores imponantur nobilibus & potentibus, quam ignobilibus, adductus hac ratione: quod, si quis velit gigantem constringere, opus ad id habeat funibus & catenis, sin parvæ staturæ hominem, tantum funiculo vel vinculis. Ita pariter quoque pœnæ, quæ vincula legum sunt, graviores imponendæ sunt præstantioribus & potentioribus.

Ex



Ex fine pœnarum etiam gradus earum colliguntur, ut pro delictis referantur.

## C A P. XLI.

**P**œnarum finis a Platone, mea sententiâ, satis fusè expositus est, si omnia ejus dicta in unum colligantur. Poni itaque (*lib. ii. de legibus*) hæc verba: *Pœnis viri maligni vexantur, non quia peccaverunt: nam quod factum infectum reddi non potest: sed ut post-hac & peccatores ipsi, & qui puniri iniquitates viderunt, injustitiam ode-rint, aut saltem minus in simili vitio peccent.* Et *lib. 9.* pariter de legibus. *Quos vero insanabiles legislator esse senserit, ultimo supplicio hos afficiet, non ignorans satius fore his, qui insanabiles sunt, mori, quam vivere, & si vi-ta priventur dupliciter prodesse cæteris: nam horum exemplo a peccatis de-terrentur cæteri, & ab improbis hominibus civitas ipsa mundatur. Hac de causa insanabiles legis conditor morte plectet: alios minime.* Ex his bi-nis locis, tres scopi pœnarum colliguntur. Unus emendatio ejusdem est, qui peccavit: alter formido cæterorum ob exemplum castigationis, ne pec-cent: tertius, civitatem purgare ab hominibus qui nequeunt emendari: quæ purgatio tres fines habere potest. Unus est fama & decus civitatis: enim-vero pravi cives civitatis maculæ sunt, ejusdem splendor boni & virtutibus dediti; alter est, tollere contagii periculum pravorum morum, quod ex con-fortio nefariorum in promptu semper est: *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Tertius est ut iram effugiamus Dei, qui irritatur, quando aperti sui recipiuntur inimici, & magni fiunt. Qua de causa in lege veteri iussit sæ-pius tollere pravos è medio: (*cap. 21. Deut.*) *deleatur ex te, qui hoc con-taminatus est scelere, & auferatis malum de medio vestri:* Et similiter A-ristoteles (*lib. 2. Ethic. cap. 3.*) pœnas medicinas dixit: & licet forte res-piciat præcipuè curam ejus, qui peccat, nihilominus dictum quoque verum est eorum respectu, qui exemplo castigationis peccare desistunt: quorum in-tuitu medicina præservativa est: ut quoq; præservativa est eatenus, cum tol-lendo è medio qui emendari nequeunt, prohibet ne inficiant pestiferis suis moribus ceteros cives. Ubi advertendum est, cuiq; malo paratam esse debere suam medicinam, dummodo curari queat. Jam peccatum tria mala sibi con-juncta

R

juncta



juncta habet, unum quod cadit in peccatorem ipsum, bina cetera in reliquos. In peccatorem ipsum cadit, quod corrumpatur: in ceteros, incitamentum ad peccatum malo exemplo, & contagium consortio pestifero, cum plane depravatus est. Id enim agunt iidem, quod Commodi aulici: (Herodian. lib. 1.) *ad corrumpendam indolem nihil faciunt reliqui.* Corruptioni rei obviam itur emendatione: exemplo peccati occurritur poenae exemplo: infectioni morum morte & aequali poena, quae in aeternum illam tollat e civium societate. Jam conjunctio fundamentis praecedentis capituli cum huius praesentis, colligentur regulae validae ad punienda delicta. Sunt itaque detrimenta peccati, alia personae ipsius delinquentis, ob suam depravationem: alia aliorum, ob incitamentum exempli pravi. Quorum malorum gravius illud exempli est, in plures enim diffunditur. Quare pro axiomate ex contrariis collecto sit, quod, quemadmodum commodum unius quaeri debet, & aestimari, *pulchrius tamen, & divinius, si genti, ac civitatibus bonum efficiatur*, ut est apud Aristotelem, (lib. 1. Ethic. cap. 2.) ita perniciis plurimorum detestanda magis est, & fugienda, quam illa unius. Ex his deducitur, quod licet peccatum per se non corrumpet admodum delinquentis animum, scilicet quod commiserit subitaneo animi impulsus motu, non ex pravo habitu, sit tamen propter exemplum scandali haud exigui, quod castigandum sit ad mensuram modumque exempli, gravi poena, non autem pro mensura corruptionis levi supplicio. V. G. Si quispiam ira praecipiti concitatus patrem occideret, mereretur poenam parricidii, etiamsi deprehensum foret, carere illum habitu impietatis pravo. Ita qui ira impulsus necaret, sive insurgeret in Principem, mereretur poenam ferre laesae majestatis, secluso omni discrimine, an animi incitatus motu peregerit, sive vitio. Idque ob detrimentum, quod inferretur aliam reverentiae, quam debet patri filius, subditi Principi, nisi singulari castigatione principia ejusmodi impietatis supprimerentur. Sed perpendendum hic est, quod pravam exemplum binas ob causas praecipue singularem mereatur poenam, quarum una magnitudo est criminis, velut patrem necare & principem: altera, propensio facilis populi ad capeffendum inde grave incitamentum ad idem peccatum. Pro meliori expositione hujus membri secundi profero in medium doctrinam quandam Platonis, quae literis aureis chartae inscribi debebat, & characteribus indelebilibus mentibus Principum & Rectorum rerump. Ait itaque ille lib. 8. de legibus. *Constat nunc quoque plurimos hominum, quamvis*

ini-



iniqui sint, bene & diligenter, & non ingratis, sed admodum sponte a pulchrorum conjunctione sese abstinere. Meg. quando id fit? Ath. Quando frater aut soror eximia pulchritudine alicui sit, a filio quoque, filiaque, lex eadem, quamvis scripta non sit, sufficienter repellit, prohibetque, & manifestum, & furtivum ipsorum concubitum. Imo vero facit, ut ne cupiditas quidem ulla rei hujus vulgus aggrediatur. Meg. Vera narras. Ath. Unum ergo verbum atque brevissimum omnes hujusmodi voluptates extinxit. Meg. Quid illud? Ath. Quod fas nihil horum esse dicitur, sed apud Deum odio haberi, & turpium omnium esse turpissima. Causa autem nonne hæc est? Quia nemo aliter prædicat, sed statim ab ineunte ætate & jocosa simul & seria dicta, & sæpius in Tragediis hæc eadem audiuntur, quando vel Thyestes, vel Oedipodas vel Macareos quosdam, qui rem cum sororibus furtim habuerant, conspectos continuo mortem sibi, debitam sceleris pœnam, conscivisse narrant. Ex his cognoscimus, quantum valeat infixæ opinio, quod plane homine indignum sit peccatum quoddam, ut quisque illud caveat, nec ullus committat, quodque pauci illi, qui illud perpetrare, acerbè puniti sint, simulque ab omnibus gentibus profligati, quodque illud præcipuè frenum sit adversus incestus personarum propiis sanguine junctarum, quæ aliàs ob commoditatem quotidiani consortii perpetuis obnoxia forent periculis nefandorum amplexuum. Quare operam dare debet Imperans, ne similis opinio & Judicium remissius fiat, aut vilescat in animis subditorum: estque remedium si ejus generis turpitudines inter proximè sanguine junctos contingant, ut singulari morte puniantur: nec discernere opus est, an ex amore, an ex habitu commissum sit, quo pœna ex amore peccanti remittatur. Firmiter infixæ menti sit impressio illa per exemplum ultimi supplicii, quod tantum scelus, quocumque sit commissum malo, plane execrandum sit, quodque qui perpetrarit, ex coetu sit viventium eximendus. Leges nostræ municipales (lib. 2. stat. cap. de pœn. incest.) incestui ad gradum quartum pœnam dicunt, per quam vivi cremantur, si delinquentes decimum sextum excefferint annum: eo anno minoribus propter incestum quarti & tertii gradus pœnam præscribunt mitiorem: at in primo & secundo gradu plane condemnant ad combustionis supplicium. Hic est itaque casus punitionis severæ ob propensionem populi capientis incitamentum ex exemplo pravo, propensioque naturalis est: at nonnunquam quoque propensio provenit ex longa consuetudine, propter quam peccatum quoddam firmiter uni infedit populo,



ut ad sublationem ejus opus sit punitione severa & destinata, seclusa omni remissione. Hujusmodi erat propensio Canibalum longo contracta usu comedendi carnes humanas, nec a tam fera propensione altero politico remedio divelli poterant, quàm præfinita & gravi pœna. Dixi remediū politicum, nam scio religionem Christianam plurimum juvisse ad eorum emendationem. Ut itaque finiam hoc de exemplo caput, si nimium præjudicet, sive propter facinoris magnitudinem, velut interficere Principem aut patrem: sive quod secum ferat insigne incitamentum, ut in incestu, sive ob consuetudinem, ut carniū humanarum esus apud Canibales, sive ob vitium aliud consuetum populo cuidam, necessum est ad severam descendere pœnam, & quæ aliis potest esse documento, licet vitium delinquentis haud ex habitu sit, sed solum transgressio ex animi quodam affectu. Idem tradit D. Thomas, (1. 2. q. 105. artic. 2. ad 9.) quamvis alio dicendi genere. Verba ejus sunt: *Non solum propter gravitatem culpæ* (hoc primum membrum est meæ divisionis, sc. gravitas delicti) *sed propter qualitatem peccati, quia majori peccato cæteris paribus gravior pœna debetur: secundo propter peccati consuetudinem, qua a peccatis consuetis non facile homines abstrahuntur, nisi per graves pœnas:* (hic est casus propensionis ex consuetudine) *tertio propter multam concupiscentiam, vel delectationem in peccato, ab his enim non facile homines abstrahuntur, nisi propter graves pœnas:* (hoc est incitamentum ex naturali propensione) *quarto propter facilitatem committendi peccatum, & jacendi in ipso: hujusmodi enim peccata, quando manifestantur, sunt magis punienda ad aliorum terrorem.* Hæc facilitas additur incitamento ex propensione naturali in incestus peccato; ideoque pœnam meretur ob hanc facilitatem quoque graviorem.

Ceterum cum agimus de peccatis, quæ exemplo non aded lædunt, sicque conferri debent cum primis cum pœna rei, distinguere oportet magnitudinem peccati respectu graduum inclinationis animi, qua peccatur: an scilicet ex ignorantia, an animi affectu, vel ex procrefisi & habitu, exque omnimodo legum contemptu peccatum sit, ut præcedenti capite hæc distinxim⁹: & pœnæ primi gradus mitiores esse debent, sequentium graviore. Mihi videntur Senecæ verba (lib. 1. de ira cap. 16.) in rem non absimilem prolata, digna esse ut hic referantur. *Omne genus pœnæ remedij loco admoveo. Tu adhuc in prima parte versaris errorum, nec graviter laboris, sed frequenter: objurgatio te primum secreta, deinde publica emendare tentabit.*



Tu longius jam processisti, quam ut possis verbis sanari: ignominia non contineberis: tibi fortius aliquid, & quod sentias inurendum est: in exilium & loca ignota mitteris. In te duriora remedia jam solida nequitia desiderat, & vincula publica, & carcer adhibebitur. Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera contexens, & jam non causis, quæ nunquam malo de future sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare. Perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit. Olim miser mori queris, bene de te merebimur. Auferemus istam tibi, qua vexaris, insaniam, & per tua, alienaque volutato supplicia, id, quod unum bonum tibi superest, representabimus, mortem. Ita ille loquitur. Et sanè, peccatum primum in juvene, delinquente ex animi affectu reprehensum objurgatione Principis vel magistratus gravis, remedium maxime commodum est, maxime si minæ addantur, cum nimirum timor ex reverentia non sufficiens creditur. Papius Cursor Prænestino prætori, qui per timorem segnius ex subditiis suos duxerat in primam aciem, ultimi supplicii metum incussit, lictorem securim expedire jubens. Ad quam vocem exanimi stante Prænestino, Agedum lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantis: contentus scilicet metu in eo concitato, quem etiam multa dicta dimisit. Deus per Moysen suam in hoc negotio personam referentem, primum Pharaonem reprehendit immiscens minas quoque antequam ad punitionem descendit Exod. cap. 7. Dominus Deus Hebræorum misit me ad te dicens, dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto, & usque ad præsens audire noluisti: - - ecce percutiam virga aquam fluminis, & vertetur in sanguinem.

## De Justitia commutativa.

## C A P. XLII.

**S**ufficiat dixisse hæc de Justitia distributiva. Progredior ad commutativam. Hujus objectum ratio est, sive Jus, vel Justum commutativum, aut correctivum etiam ipsum, ut justitia, vocatum, a me definitum est, (lib. 1. de justitia cap. 9.) quod sit æqualitas rei absolute debitæ, & datæ, ex obligatione. Estque sensus debiti absolute ille, quem superior signi-



significavi, (cap. 15.) dixique debitum verum & absolutum, circa quod occupata est justitia particularis: at propriè maxime commutativa, quod me plane dixisse memini (d. c. 7. cap. etiam 6. p. de justitia.) Particula dehinc ex obligatione, id præstat, ut si ego ultra debitum ex gratia darem quidquam, non propterea læderetur justum, ut contingeret, si illud plus ut obstructus non perolverem. Explico rem exemplo. Petrus dedit commodato decem scutatos Paulo, & Paulus illi reddit duodecim, existimans tantum suum esse debitum: si Petrus non corrigit hunc Pauli errorem, capitque eos sciens erroris, iniquã rem committit: at si Paulus duodecim scutatos numerat, gnarus debitum tantum decem scutatorum esse, volens dare in super binos illos ex mera liberalitate, nihil læditur justum, sed actio est liberalitatis ex parte dantis, nec capiens minime peccat per injustitiam. Posset quidem contra liberalitatem peccare, si ob quendam respectum receptio superflui suæ esset indecens conditioni, aut alterius gratia haud laudabilis. Hæc mea definitio est, quam ostendi re ipsa non differre ab illa Aristotelis, (cap. 4. lib. 5. Ethic.) quod lucri & damni medium sit jus hoc, non spontè, cumque paria habet ante, & post: ut tamen observetur, quod definitioni Aristotelis includatur essentialis & causalis definitio, meæ causalis solum. Veluti si quis definiat eclipsin lunæ, quod sit terræ interpositio inter illam & solem, tantum causalem proferret. Sed jam tum mihi proposui, certas relinquere subtilitates, lectoremque remittere ad libros meos morales, ubi illas pertractavi. Addit porro Aristoteles, quod justum commutativum procedat proportionem Arithmetica, non Geometrica, quoniam illud non attendit ad personas, sed ad res. Quid proportio sit Arithmetica exposui paulo ante: (cap. 19.) quoniam vero subtilis difficultas est, quomodo justo commutativo se associet, quam tamen memini me haud vulgari diligentia tradidisse in morali mea Hygienes, (lib. de justitia cap. 5.) sive de sanitate animi, remitto illic lectorem. Satis est modo sensum exposuisse verborum, qui est, quod in justitia tali personæ non habeatur ratio, sed rei tantum. Dedi commodato decem scutatos; sive qui sumpsit nobilis sit, sive plebejus, dives sive egenus, justitia curabit reddi mihi meos decem scutatos, nec illis plus minusve. Adde hic, quod debitum hac justitiæ specie consideratum, adeo exactum sit, ut efficiat obligationem ad restitutionem, quod hujus justitiæ proprium est. Et si nonnunquam iniqua distributio ad restitutionem constringat, facit hoc quatenus tendit ad commutativam injustitiam in tali casu.

Jam



Jam perpendamus circa quas materias, resque, hæc versetur justitia. Secundum Aristotelem (lib. 4. ethic. cap. 2.) commercia sunt, sive contractus tam voluntarii quam involuntarii, quos illi submittit omnes hisce verbis. *Altera commutativa justitia, quæ in commerciis hominum emendandis versatur, cujus duæ sunt species. Nam ex commerciis alia sunt spontanea, alia involuntaria. Spontanea ejusmodi sunt, venditio, emptio, commodatum, sponsio, usura, depositum, conductio. Atque hæc de causa spontanea dicuntur, quia principium commerciorum horum spontaneum est. Ex involuntariis autem clandestina alia sunt, ut furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, servorum seductio, dolo perpetratum homicidium, falsa testificatio: alia violenta, ut flagellatio, vincula, mors, rapina, mutilatio, convicium, contumeliæ illatio. Legum periti (Instit. de oblig. §. seq.) in quatuor distinguunt, in contractus & quasi contractus, qui spontanei sunt: in delicta & quasi delicta, qui involuntarij sunt.*

*De cura, & partibus ejus, quam gerere debet justitiæ commutativæ Princeps.*

C A P. XLIII.

**C**ura justitiæ commutativæ magna illi debet esse, qui imperat: est enim proprium illius officium, esse ipsius custodem. *Est autem, inquit Aristoteles, (lib. 5. Ethic. cap. 6.) qui dominatur, juris ipsius austos: at si juris, æqui etiam: & est æquitas perfecta, non exproportione, objectum hujus justitiæ, de qua jam sermo est, sicut proxime dixi. Deq; eadem loquitur Hesiodus,*

*Hoc uno Reges olim sunt sine creati*

*Dicere jus populis, injustaque tollere facta.*

Quæ cura penes principem est, aut caput Reip. duob. modis. Unus est, cum ipse ex numero contrahentium contractus voluntarii, aut violenti est, secundum distinctionem Aristot: alter est, cum alii contrahentes sunt, & ille tantum curam gerit, ne quispiam istorum justitiam corrumpat. Primo modo se ipsum, altero ceteros limitibus coercet juris. Achabus rex Israelit. unus existit contrahentium in capienda vi vinea Nabothi: nam eadem, quam patiebatur



tiebatur Naboth jussu Jefabelis, impunè sivit factam esse cum reseivit, ipseque insuper invasit bona illa, quæ non debebant propter innocentiam Nabothi regio fisco attribui. In litibus civilibus vel criminalibus, quæ intercedunt inter privatos, Princeps & judex tantum præsent actionibus & rationibus litigantium, iisdemque jus dicunt. Jam quodlibet horum membrorum iterum dividitur: nam quod ad prius, vel consideratur Princeps respectu bonorum subditorum, cum aufert illa, vel unicuique sua relinquit intacta: aut respectu statuum aliorum bonorumque extra terras suas, vel ratione fidei datæ servandæ, & promissorû: quod cum primis usu venit in pace inita, vel induciis, aut fœderibus ictis. Rapere bona, & status aliorum procul dubio spectat ad justitiam commutativam, cum fit absque justa causa. Violare etiam promissorum fidem, pactorumque confirmatorum, ad eandem refertur, ad quam pertinent, vigore eorum quæ dicta sunt, omnes conventiones, quæ inter homines fiunt. Caput dehinc præfecturæ & administrationis justitiæ inter privatos in litigiis eorundem etiam dividitur: enimvero principiò opus est deputatione bonorum judicum, cum fieri nequeat, ut Princeps lites omnium componere possit in Monarchia: ut Moisi dicebat sacer, cernens eum omni populo solum jus dicere. *Multo labore consume- ris, & tu, & populus iste qui tecum est, ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere.* (Exod. cap. 18.) In aliis porro rebusp. judices plures esse numero, clarum est, quos, opus est, bonos esse, tam scientia, quàm moribus, si alias justitia recte exerceri debet. Ceterum cum non sit satis, selegisse bonos judices, nisi etiam conserventur certa quadam cura tales, ideo oportet principem auscultatione publica tempore constituto aditum sui concedere subditis, ut ad suam justitiam confugere possint, si a iudicibus læsi fuerint, utque simul hoc pacto in metu judices ipsos contineat. Sed non sufficit iudicis justitia, lataque bene sententia, mandatumque velox, ut privati jus suum adipiscantur: quippe injustitia in sui gratiam nacta est propugnaculum firmum, estque potentia primorum adversus minimos, si his debeant. Nam alicubi facile reperiuntur, qui exequantur mandata in certos lata potentes: alibi timent creditores curare executionem sententiæ peragi, metu erga se injuriarum: sicque identidem non audent eodem metu in iudicium eos vocare. Est itaque necessum, principem, vel remp. sua auctoritate oppugnare, & concutere arcem hanc & propugnaculum injustitiæ & impie-



impietatis. Differemus de omnibus hisce modo divisis partibus succinctè: attamen non sine politica doctrina, quantum nobis erit concessum.

*Abstinentia Principis à facultati-  
bus subditorum.*

CAP. XLIV.

**Q**UOD ad facultates deinceps subditorum, planum est, principem haud posse ex subditorum opibus aliud quid sumere, quam tributa illa & impositiones, quibus opus est ad necessitates publicas, pacis, bellique tempore, qua de re superius differuimus. Accenseo modo impositionibus vestigalia, quæ tandem æque in subditos redundant, ijs exceptis, quæ tantum pro transitu persolvuntur. Ceterum non illi licet subditorum bona capere, nisi perdididerint ob delictum & fisco adjudicata fuerint, quæ in pœnam delicti & frenum delinquentium regio fisco attribuuntur. Circa quam confiscationem, meminisse etiam oportet illius prudentis principis dicti, fisco humanum referre, qui ubi ultra iustum augetur modum, corpus reddit morbidum: itaque bonorum in fisco relatio cum prudentia fieri debet. Bona absque hærede relicta lege Diocletiani (Cod. de bonis vac. ff. l. 1. lib. 10.) ærario Imperatoris attributa fuere, & deinceps ab Honorio quoque & Theodosio. tit. eod. l. vacantia, Exceptis hisce casibus & portionibus, non potest justè princeps invadere bona privatorum. Ut principi essent bona allodialia, & ad victum necessaria, ut est apud D. Thomam secundo de reg. principum, (cap. 5. & 6.) præter ærarium & thesaurum, res esset futura optima. Sed hoc ad prudentiam pertinet, ideoque inferius de eo differemus. Tantum est, quod leges communes eius faciant mentionem, Codic. lib. 11. tit. 62. & seq. Sed ut persistamus in proposito nostro, magna erat iniquitas primum Syllæ, & deinceps Octaviani, spoliantium veros dominos suis bonis, qui erant subditi, nequaquam inimici bello victi, ut distribui fundi illorum & facultates inter milites possent: quod cum primis Mantuanis contigit sola Cremonæ vicinia.

S

*Mant-*



*Mantua va misera nimium vicina Cremona.*

• Et jure dolebat Melibæus :

*Impius hæc tam culta novalia miles habebit ?*

*Barbarus has segetes? en quo discordia cives*

*Perduxit miseros, en queis consecimus agros.*

*Inferenunc Melibæe pyros, pone ordine vites.*

Et Sallustius similem Cæsari disuadet distributionem, quæ quoque iniquissima est, si non fiat ex bonis publicis, aut acquisitis bello justo; veluti cum Romani Colonias emittebant, quibus assignabant terreni urbium & provinciarum captarum partem illam, quam populis victis ablatam volebant.

Alterum caput justitiæ commutativæ est, ubi princeps contrahentium unus est, in operibus & artificijs, ad ministerium personæ domusque regis ab opificibus artificibusque exhibitis, quorum compensatio justitiæ est commutativæ, ut & rerum a mercatoribus petitarum, ut docui in mea morali Hygiene (lib. I. de justitia cap. 10.) & ante me D. Thomas dixit. (2. 2. q. c. I. artis. 4. ad 2.) Quare si non persolveret pretium pro operibus artificijs & mercimonijs, peccaret in justitiam commutativam. Et sanè boni principes ordinario pretio persolvunt, ut quoque superius dixi usum observari. Interque causas quod rebellarent Romani adversus Tarquinium Superbum, extiterunt operæ immensæ, quas plebi injungebat, *miseriaque & labores plebis, in fossas eldacasque exhauriendas demersæ*, ut Brutus ait apud Livium (l. b. I. in fine.) Quod sufficiat de justitia commutativa principis cum subditis. Idque quod de principibus dixi, idem putandum est de ceteris rebus, & magistratibus earum, cum primis supremis. Succedit altera, cum exteris, eorumque facultatibus & præsertim cum statibus aliorum principum. Doctrina, & præcipuus finis hujus capitis extat apud D. Thomam lib. 3. de regimine Princ. cap. II. ubi de principibus hæc dicit: *quod nec subditos*

*suos gravare possunt in bonis eorum, & rebus, nisi in duobus casibus, videl. ratione delicti, & pro bono communi sui regiminis.*



*Injustitia, quæ versatur in occupatione  
status aliorum.*

CAP. XLV.

**Q**uod Injustitia magna sit exuere principes alios statibus suis, adversus quos justa non est causa, eaque tantum, quod quis potentior sit, aut quod in eo statu quidpiam reperiat, quod desiderium concitet, satis planum est. Inlicitum est naturæ, quæ rationem sequitur, axioma hoc, quod unicuique suum tribuendum sit, non tollendum. Et definit Iustus justitiam, quod unicuique suum tribuat. Quanto itaque res major regnum est, quam possessio, tanto major est iniquitas illud eripere, quam hanc. Solimannus, licet imbutus axiomate suo falso fundato in superstitione Mahumedana, nihilominus compulsus infito justitiæ principio, expugnata Rhodo, misertus est, cum videret senem Principem, scilicet Magnum Magistrum, egredi debere domo sua & antiquo imperio. Axioma Solimanni erat: *proprium regis regio sanguine orti esse, rapere & invadere res aliorum, non avaritia, sed gloriosa cupidine dominandi.* Hic itaque prætextus est invadendi status aliorum, nimirum gloriosa cupiditas dominandi. At falsa est ea gloria, quæ cum maxima conjuncta est iniquitate. Optime dixit Joannes Casa,

*Gloria haud virtutis filia, quid valet?*

Sed ad nostrum propositum, dicendum erit,

*Gloria filia vitij, quid valet?*

Et tandem finem in gloria ponere, ambitio est, haud virtus, cujus finis honestas est. Alius prætextus prolatus est à Rinaldo Albicio in Hist. Florentina, (Ann. hist.) suadente Lucensium urbis conquestionem esse tentandam: quod in amplissimis imperiis delicta puniantur rectius, quam in parvis, exemplo quorundam comitum minorum, subditos suos tyrannorum in morem gravantium. At non sufficit bonum esse finem, ut actio compareat bona, opus est quoque mediis bonis, at bonum medium non est injustitiam committere, ut æquo vivant alii jure. Si acquisitio fieret secundum justitiam, utique argumentum bene procederet: licet illa major propositio, quod sub amplissimis imperiis melius vivatur, adversetur doctrinæ Aristotelis, qui eiusmodi exigit amplitudinem, ut cognoscantur personæ earumque merita:



alias perspicuum est, non digniores muneribus præfici, sed qui à commendatoribus gratia plus apud principem valentibus magis efferuntur. Alius prætextus est, quod resp. ita tutior sit, plus habens virium. Idem argumentum objiciebat Ghinus Taccianus, apud Boccacium, Abbati Cliniesi, quem in viis publicis deprædabatur, ut inimicitias cum comite S. Floris sustinere posset. Bona resp. suos cives bona disciplina strenuos reddere debet, eorumque virtute ab externis se præstare tutam, simulque sibi procurare societatem cum aliis principibus adversus potentiores, cum quibus eadè dissidentia illam perennem servare sibi possit: non autem occupatione iniqua quod alterius est: enim vero similes conatus sæpenumero contrarios nantiscuntur exitus. Samnites propter opportunitatem, & quod eorum intererat plurimum, urbem Capuæ possidere, conabantur eam occupare, ac conatus ille causa exstitit belli cum Romanis gesti, quorum imperio tandem subjiciebantur. Si verum est, quod retulit Guicciardinus, desiderium invadendi Pisanam urbem, & Venetorum violentus conatus, semen exstitit simultatum inter illos & Ludovicum Sforzam, quem ut castigarent, consilium ceperunt conjungendi se foedere, cum Lud. XII. rege Galliarum, & accersendi illum in Italiam, quæ ipsis exstitit causa amittendi imperium continentis, quod postea magno labore, sed diminutum recuperarunt. Possent similia exempla quamplurima proferri, quæ brevitatis gratia omitto. Non itaque occupari possunt justè aliorum status, nisi bello quod justè geritur. Bellum justum tria postulat: ut causa æqua sit; ut deliberatum sit à persona ea pollente auctoritate: & recta intentio boni finis. D. Thomas 2. 2. q. 43. art. 1. in corp. causæ justitiam ex sententia D. Augustini ita describit: quod causa justa sit, quando illi, adversos quos arma parantur, sua quadam culpa promerereunt, ut armis petantur. *Vnde (verba sunt D. Thomæ) Aug. dicit lib. 83. quæst. justa bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas peccanda est, quæ vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est.* Hactenus D. Thomas. Ex quibus bellum defensionis tantum gratia susceptum justum colligitur, licet verbis non exprimatur. Sermo enim illi est de iis bellis, de quibus dubitare posset an essent justa, videlicet ad vindicandas injurias suscepta de quibus plus ambigitur, & ad repetendum sua, de quibus minus. Et sane dissidentia sunt suum repetere, & vindictam meditari. Vindicta enim ultra redintegrationem pœnam adjungit. Ita Judex crimina-

lis



lis cum subditis se gerit, ut læso non modo curet suum restitui, verum quoque prædonem puniat.

### De injustitia in violanda fide.

#### CAP. XLVI.

**D**E fide servanda & firmiter promissis tenendis, quod ex propositis tertium membrum est, ubi princeps contrahentium unus existit, haud dubitare possumus, quid dicendum sit: quoniam pacta & promissa ad contractus pertinent, sumpto remissè quantum licet vocabulo. Recedere itaque à pactis conventis, repugnat justitiæ commutativæ. Ulpianus (ff. de pact. l. 1.) pro principio ponit naturali hominibus indito observantiam conventionum, pactorumque initorum, cum ait: *Hujus edicti æquitas naturalis est, quid enim tam congruum est fidei humane, quam illa que placuerunt inter eos servare?* Alio respectu cernimus quoque principiis moralibus insitis accedere: etenim virtus moralis inseparabiliter connexa est cum veritate activa, ut est apud Arist. (cap. 2. lib. 5. Eth.) *Quare cum moralis virtus habitus electivus sit; electio v. consultatrix, propterea oportet, si modo electio proba est, ut & ratio sit vera, & appetitus rectus, & eadem illa dicat, & hic persequatur: atque hæc cogitatio, seu mens, & veritas activa est.* Si igitur veritas ad eò virtuti connexa est, electio falsitatis haud erit virtutis opus, est vero electio falsitatis in eo sita, quod mendacem se sistat non servando promissa, estque magis adhuc mendax, imo perfidus, si promittendo securè, non illi animus est servandi certò promissum. Cicero 1. offic. cum dicat, quod fides fundamentum sit justitiæ, innuit, ejus observantiam principium esse innatum. *Fundamentum autem justitiæ fides est, id est dictorum, conventorumque constantia.* Hinc D. Augustinus ad Bonifacium scribens, dicit & inimicis fidem esse servandam, cujus auctoritas relata est in Decretales. Idem dixerat Cic. primo offic. *Si quid singuli temporibus adducti hosti promiserint, in eo ipso fides servanda, ut primo Punico bello Regulus.* Idem dicitur fidem frangere, cum docet discrimen quod inter bellum est propter honorem & imperium gestum, & illud, in quo de vita decernitur & salute, quale illud erat cum Cimbris. *Fatetur illud cum Carthaginensibus gestum*



gestum esse propter imperium & honorem: sed quod eorundem perfidia promerita sit exitum pejorem. *Pæni*, inquit *scdisfragi: crudelis Annibal*. Ea propter merito diruta fuit Carthago, ut paulo ante idem tradiderat Cicero. *At Carthaginem, & Numantiam funditus sustulerunt, nollem Corinthum*. Ceterum & inter Theologos convenit, promissorum fidem esse servandam. D. Thomas in summa (2. 2. q. 88. art. 3. ad. 1.) dicit: *Secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur, & hæc est obligatio Iuris Naturalis. Sed ad hoc, quod aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione civili, quedam alia requiruntur: quæ clausulæ sunt, & formulæ, & solemnitates à lege institutæ. Ita ut ex honestate promissum obstringat & promissum munitum solemnitatibus civilibus, secundum justitiam obligat, etiam absentibus datum. Hancque opinionem, imo conclusionem tamquam fidei certæ ponit Dominicus Bannes (de just. & ju. in præan. ad q. 62. desp. 5. dub. 2. §. 2. nota.) apud Theologos, cum inquit: de priori promissione (scilicet solemnitate munita) non dubium, quin etiamsi absenti fiat, transferat dominium. Et Navarra opinatur, quod promissum nudum obliget lege naturali, divina, & canonica: & caput. de pactis factis pro illo militat, qui Canon ex Concilio est Africano. Quando dehinc promissioni additur juramentum, D. Thomæ sententia est, quod obligatio vi facta obliget nihilominus propter juramentum, ratione cujus Josua in Scriptura sacra servavit promissum Gabeonitis juramento datum, cum id ab eodem per fraudem & mendacia eliciissent. Ethnici superstitionibus immerisi suis Deos fingebant sibi Palicos filios Jovis & Tallæ perjurij punitores. Unde Silius Ital.*

*Et qui presenti domitant perjura Palici*

*Pectora supplicio.*

Infinitæ res proferrî in medium possent ad confirmandam obligationem, qua quis tenetur servare promissum fidemque: sed deprehenduntur tot experimenta, quibus cognita est veritas instinctu ipsius rationis, & facti pulchritudo, & contrarij turpitude. Sextus Pompejus famulo Menodori sibi significanti, si juberet, trucidaturum se Octavianum & Antonium, cænantes una cum Pompejo in eadem navi, respondit, potuisse Menodorum id commisisse sua sponte tanquam assuetum perjurij crimini, non sibi vero convenire id illi committere, nescienti fidem fallere, licet ita patris fratrisque interfectorum mortem ultus esset, aditumque nactus liberum ad Romanum imperium. Nec tamen mea sententia, omnimode integritati fidei satisfacit



fecit, significando, si Menodorus non rogata venia perpetrasset, non a grè se-  
laturum fuisse. Etiam necessitas servandæ fidei satis manifesta est. Nam  
dictis aliorum, promissisq; fidem omnem denegare, idem est ac vitam tolle-  
re. Ubi eo pervenit, ut fidere ulli nequeamus, ut de Alexandro Phereo di-  
citur, & Jugurtha, non vita amplius est, sed vivida mors, scilicet lenta mors,  
ut hujus vitam describit Sallustius. *Neque post id locorum Jugurtha di-  
es, aut nox quietæ fuit, neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori satis  
credere, cives, hostesque juxta metuere, coram spectare omnia, & omni stre-  
pitu pavescere, alio atq; alio loco sæpe contra decus Regium noctu requies-  
cere, interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere, ita formidi-  
ne quasi recordia exagitari.* Et ut summatim dicam, vivere nequimus  
sine mutuo commercio, nullum vero sine fide existit commercium. Quod  
& docuit Aristot. lib. I. Rethor. cap. v. *Infirmatis, violatisque pactis, tolli-  
tur inter homines commerciorum usus.*

*Argumenta quare Princeps non teneatur  
fidem servare, eorumque solutiones.*

CAP. XLVII.

**N**on desunt ex adverso qui plane contrarium docent. Lipsius in sua  
politica (lib. 2. cap. 14.) vocat eos novos Etruscos doctores, innu-  
ens scilicet Machiavellum, illiusque sectatores, ita enim ille in Rubrica  
ait, *spreti ab Etruria doctores novi.* Sententia, quam ille repre-  
hendit, hæc est, quod princeps vel resp. non teneatur servare promissam  
fidem, nisi quousque in utriusque tendit commodum: volunt tamen ut fidei  
violatio velamine boni tegatur prætextus, vel quod ceteri prius non stete-  
runt promissis, vel amicitiam violarint. Ita Leo X. conquestus est, Gallos  
prius Regium armis invasisse, ususque prætextu est isto, foedere se jungendi  
adversus eos cum Carolo V. cum tamen jam ante clam iniisset foedus ex  
mente Guicciardiarni: aut ejus generis species aliæ, quæ nunquam desunt.  
*Perfidus (ut est apud Livium) neque causa deficiet, cur pacto non stent, sem-  
perque aliquam fraudi speciem juris imponent, lib. 9.* *Argu-*



## Argumentum Primum.

**C**eterum prætextuum dehinc fundamenta perpendamus. Ajunt itaque justitiam fidemque observandam esse à privatis, quod legibus subiecti sint, at principem omni esse solutum lege. Quale fundamentum pestiferum satis debile est. Princeps solutus est legibus & liber, in quantum exemptus est pœnis à legibus impostis, & immunitas à Scholasticis vocata est coercitiva sive coactiva, at non est immunis ab obligatione actionis imperatæ, quod est obstrictum esse legi directivè, ut scholæ etiam loquuntur. Imo addo ego, modo hoc dicto directivo, magis obstrictus est princeps, quam subditus, hac tamen distinctione: rerum imperatarum à legibus nonnullæ imperatæ sunt, quod bonæ sint, eæque sunt omnes actiones secundum virtutem: aliæ bonæ sunt, quoniam iustæ sunt, eæque leges sunt positivæ: verbi gratia, sextarium hujuscemodi esse mensuræ in hac vel illa urbe: magistratum vestiri habitu rubro vel nigro: res, quæ ante præceptum nihil referunt, sive hoc, sive illo fiant modo. Quod ad priores itaque, magis obstrictus imperans est, ut illas peragat, quam subditi, cum ad perfectiorem obligatus sit virtutem, & rex etiam virtute heroica præditus esse debeat. Quare ad actiones, exempli gratia temperantiæ à legibus imperatas, rex tenetur modo graviore, quam privatus, ita quoque ad eas fortitudinis, ceterarumque virtutum, & præsertim justitiæ, quæ modo speciali est in clientela regis. Quod ad leges positivas, nonnunquam etiã directè obstrictus est princeps propter scandalum, quod inde caperet populus: quemadmodum si rex alio sextario venderet, aut emeret, quam ordinato, & ceteris consueto. Præter hunc respectum, princeps absolutus illis non tenetur, quamvis si illas observet, magnam addat auctoritatem. Exempli gratia. Interdictio ferendi arma: illa incedendi numeroso comitatu, quod in urbibus factiosis sæpe vetitum est: hæc hujusmodi leges non obligant principem: at si principi placet eas observare, maxime illam de armorum gestatione, (illa enim de comitibus vergeret in majestatis diminutionem) magnam legi auctoritatem addit. Fridericus rex Neapoleos prohibuit gladij gestationem, fuitque primus, qui eum deposuit, quod in eo laudat Sannazarus.

Edicto



*Edicto nuper cum tu Rex magne caveres  
Audaci ne quis stringeret arma manu.  
Deposuisse tuum vel primus diceris ense,  
Et monstrasse palam primus inermis latus.*

Tandem finit:

*Publica nimirum res tunc sibi constat, & equum,  
Imperium cum Rex, quod jubet, ipse facit.*

Alterum argumentum est, quod princeps excedat fastigium humanum: ideoque nec modis communibus uti debet, sed iis, qui illi profint magis. Quod argumentum ex duabus constat propositionibus ambabus falsis. Quod princeps superet fastigium omne humanum, falsum est. Enimvero & homo quoque est, ideoque animal rationale, & hinc obstrictus principiis rationis, inter quæ principia est pactorum observatio: tantoque magis obstrictus est ad ea observanda, quantum suo exemplo, quod ab omnibus suspicitur, & imitantur cuncti, id efficere posset, ut privati invicem infideles sint, quæ perniciēs esset futura commerciorum & societatis civilis. Plinius in Panæg. Trajani in laudem ejus dicit: *unum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod unum ex nobis putat, nec minus hominem se, quam hominibus prodesse.* Sed & quod inde infertur falsum est; scilicet, si excederet humanum fastigium, quod promissa violare posset: quinimo contrarium potius verum est. Quo enim magis ad Deum accederet, qui de seipso ait, *cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, tanto magis obstrictus foret, ad promissa data observanda.

Dicunt tertium, quod princeps velut custos boni publici metiri debeat observantiam promissorum, non ex vi factæ obligationis, sed ex utilitate publica, quæ inclusa est utili principis ipsius, qua cessante, haud servandum sit illi ullum pactum initum, tanto magis si loco utilitatis damnum inde eveniat. Hæc maximè speciosa ratio est, sed jam tum ostendimus, utile principis, vel status & commodum publicum, non semper idem esse, & ex utilitate publica, tanquam fine, non ex illa status actiones dimetiendas esse. Sed perpendentes etiam ipsum utile commune, advertere oportet, quod opinio veracitatis & observantiæ strictæ promissorum, quæ opinio provenit inde, quod quispiam est talis, præter honestatem tam utilis est publico, ut paucae utilitates reperiantur, quæ illi exæquentur. Profero ad confirmandum quæ dicta sunt locum ex Cicerone: (lib. 2. off.) *Regum, populorum, nationum portus, & refugium*



gium Senatus. Nostri autem magistratus, Imperatoresq; ex una hac re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate, & fide defendissent. Ut ita ex fide proveniret, quod reges, populi & nationes spontaneo obsequio & amabili observantia colerent Senatum Romanum, ex eoq; penderent. Quid amor hic conferat, patefacit exemplum Cyri cum Croeso, qui ab amicis suis ad nutum collegit thesaurum uberiolem, quam fuisset habiturus, si ejus vice, quod inter amicos distribuendum erat, id alicubi reposuisset. Nero mittebat Romanis subsidia magna bello Carthaginiensi, etiam non rogatus. Titus Livius, lib. 21. Pollicitus est, quo animo priori bello populum Romanum juvenis adjuvisset, eo senem adjuturum, frumenta, vestimenta q; se legionibus Consulibus, sociisq; navalibus gratis praebiturum. Et post cladem Cannensem attritis adeo viribus Romanorum, nihilominus Ottacilio Duci militum praeavit aurum ad stipendia militibus exsolvenda, & frumentum in sex menses. Ceterum si re vera pactum principis tenderet in perniciem extremam reip., etiamnum foret servandum? Respondeo quod non: enimvero, aut a principio deceptus fuit, quando princeps promisit quidquam adeo damnosum reip., aut coactus, aut verò res adeo immutatae sunt, ut fieri nequeat, quod primum licebat: quae exceptiones observantiam tollunt. Quod enim ad fraudem, aut vim, erat edictum praetorium, ut recenset Cicero, (lib. 3. de offic.) *pacta & promissa servanda, quae nec vi, nec dolo malo facta sint.* Quod ad rerum immutationem, cum nimia est, ut promissum intercidat, ex consideratione rerum ipsarum intelligi potest. Promisi me daturum commodato amico equum: eodem momento nuncium affertur mihi, eundem mihi esse ad servandam patri vitam, quae alias periclitabitur: sane potius in commodum patris ipse uti eo debeo, quam dare amico commodato. Est inter binas civitates foedus mutuae defensionis gratia initum, contingit uni inundatio ab immenso exercitu barbarorum, qui tendens aliorum, non laceffitus, non nocebit alteri; haec non servare debet initum foedus, cum defensio desperata sit: enimvero si ipsa foret obsidione cincta, pacisceretur potius, aut se daret in potestatem hosti, quam quod conflictari vellet cum periculo imminentis excidii. Sit itaq; conclusio: fides data & promissum servari debet à principe, & rectoribus rerum. majori firmitudine, quam a privatis, prout majori virtute instructi esse, eamq; prae se ferre illi prae his tenentur. Hinc in proverbio dicitur, REGIS VERBUM, innuens promissum securum & inviolabile. Haec regula est, quae cum promissum juramento munitum est.



est, certior longè est, minusq; admittit limitationes: nam & qui vi coactus promisit quidpiam addito jurejurando, promisso tenetur, quousq; non liberabitur a juramento. Hæc est doctrina D. Thomæ. Præter ea quæ allata sunt, confirmo porro conditionem opinione super re hac Romanorum, quando florebat resp. hominibus & virtute. Posthumius itaq; Consul verba faciens ad Senatam Romanam in sui ipsius detrimentum hæc dixit verba: *neq; ego inficias eo P. C. tam sponsiones, quam fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur.* (Tit. Liv. lib. 9.) Notum quoq; est, quanti fecerit fidem suam Regulus Atilius. Sed ultimò id probo per eosdem adversarios, qui nolunt, ut ostendatur aperte nolle pacta servare, sed ut cautelis & excusationibus demonstratur obligationem in proposito casu evanuisse. Ita iidem fatentur non stare promissis, turpe esse. Sed ut turpitudines voluptatum corporis absconduntur ab oculis aliorum tenebrarum adminiculo, eodem modo docent fallacias & artificia fraudulenta occultandi vigorem obligationis factæ, ac si per quendam calum expirarit. Jam non inficior dari quandam a regula exceptionem: una est, si res promissa vergit in damnum ejus, cui promissa est: velut reddere gladium commissum vesano: altera, si fieri nequeat ab eo, qui promisit: & impossibile capitur hoc loco non tantum metaphoricè, sed & moraliter, quo sensu quod difficile admodum est, impossibile reputatur, ut tradit Aristoteles. Sed addendum etiam est, quod moraliter non faciendum est illud, quod fieri nequit, nisi adversum rationem. Scilicet, si defensores partis cujusdam arcis, ad quam ex exteris nisi hostes accedere non solent, lege in se recepissent scelopeto quemcunq; ignarum tesseræ militaris petere, militum vero unus e longinquo appropinquantem patrem cerneret, haud hostem, non occidi potest sine magno scelere, etiam si aliter conventum sit, & hic quoq; eandem nesciat. Aliæ exceptiones sunt fraus & vis. Et sane actio involuntaria proprie non humana est, secundum Aristotelem. (lib. 3. Eth. cap. 1.) Ideoq; nec infert obligationem. Et ita edicto prætorio excepta sunt pacta per fraudem inita, & per violentiam, ex quibus conditionibus hoc violentum est, illud ignorantia. Unum alterumq; horum actionem efficit involuntariam: cum involuntarium definitum sit, quodcumq; sit per vim & ignorantiam. Sed quænam ignorantia, & quævis quidpiam involuntarium efficiat, tradit Aristoteles; idemq; describunt Theologi & Legum doctores, ad quos remitto lectorem. Non est involuntaria quævis actio quam in universum nollemus, at eligimus cum suis circum-



stantiis: velut facultates in mare projicere, ad navem ab onere liberandam vento & fluctibus jactatam. Alias neutiquam facultates nostras projicere vellemus, sed ob circumstantiam liberandi navem ab onere cupimus. Quare non quidvis quod ægrè promittitur, obtinet conditionem, quod coactè promissum fit, ut irrita fiat obligatio: aliàs nulla obligatio a victis data valida esset futura, succederetq; axioma illud, quod in vituperium tribuebat Romanis Pontius Heremus. (Tit. Liv. lib. 9.) *Nunquamne causa deficiet, cur victi pacto non stetis.* Sed non mihi propositum est descendere ad res adeo minutas, sufficet dixisse, quod loco exceptionum justarum non transeundum sit ad cavillationes & prætextus fallaces: in illam enim notam incurreremus, quæ Romanis a Samnitibus, licet iniquè dabatur, & *semper aliquam fraudi juris speciem imponitis.* Quæ macula foeda est privatis, rectoribus rerump. & principibus foedissima, ob summam dignitatem ipsorum status, quæ omnem defectum in aperto ponit, & ob eminentiam virtutis, ad quam tenentur.

*Oppugnatur illud, cum debitum, quo privatus privato obstrictus est, debitori condonatur: itidem cum debitori tempus, sive mora conceditur.*

#### CAP. XLVIII.


**V**enio ad directionem justitiæ commutativæ respectu privatorum inter se. Cujus primum caput est, ne princeps, vel principatus, quicumq; etiam sit, sufflaminet ejus rectam administrationem. Quod duobus contingere solet modis, magis generali uno, altero minus. Generalis magis, quando respublica, exempli gratia, oligarchica non favet plebeis, ut par est, ut consequi possit sibi a divitibus & potentibus debita, largiendo hisce privilegia limites excedentia. Idem foret, si modo respublica Veneta nobilibus privilegium concederet super debitis, quibus civibus & plebeis obstricti sunt: quapropter impediretur, aut difficilior fieret debitorum exactio: unde tamen abest quam longissimè ista bene instituta respublica. Et tandem, cum illa pars quæ regit, moras obtendit, ut sui cogi nequeant ad dissolvendum, quæ debent parti exclusæ: quod est injuriæ patrociniari



nari loco defendendi & administrandi iustitiam. Minus generale impedimentum est, cum principes & magistratus longiores, vel breviores moras concedunt, & nonnunquam omnimodam debiti sublationem, ex quibus hoc planè iniquum est, tollendo suum illi, qui nullo illud amisit crimine. Hanc iniquitatem detestatur etiam Cicero. *Qui pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant fundamenta reipublice.* Dilationes & moræ etiam non sunt iustæ: esse enim potest, ut quod credidi, mea mihi ad vivendum attributa portio sit, hincq; graviter patiatur familia mea ob moram debitori concessam: præterquam quod omni modo illa mea res sit, quæ adversus meam voluntatem & pactum retinet debitor meus, quapropter me meo privato jure sua concessione princeps. Unum argumentum defendit factum, quod non sit solvendo debitor verè non simulate, cui rei remedio est cessio bonorum, & mora quinquennalis: estq; fundamentum rei, quod debitor destruat bonis, quibus debitum dissolvere possit, & lex hanc illi facit gratiam, ut ob debitum in carcerem conjici nequeat, quod æquum est: idem enim creditor quid commodi feret ex captivitate miseri? Verum quidem est, quod si deprehendatur debitorem pravum contraxisse æs alienum facultatibus majus luxu voluptatibusq; nimis, quod mereatur puniri non leviter in exemplum fraudulentorum; etenim de alieno sumptus faciebat, & sciens se eo esse loco, ut nunquam creditam pecuniam reddere posset, mentiebatur, cum conveniretur redditurum alteri, & planè eum defraudabat. At si mora concedatur in præmium subditis, & propter facta egregia peracta in publicum commodum, non est præmium æquum, cum ijs ex publico largiri oporteat, non ex privato. Non tamen inficias eo, si contingat ministerij publici ergo quempiam abesse longiusculè domo sua, & administrationi suarum facultatum per breve tempus deesse, quod isti possit immunitas a forensibus molestiis concedi: at vero si absentia diuturna foret futura, aut pro eo solvat respublica, aut permittat ut satisfaciat, si tenetur. Cernimus talem fuisse Romanum morem: enimvero Cæsar a creditoribus importunis distinebatur, quominus in Hispaniam ad Præturam capessendam contenderet: eamq; ob rem necessum erat, ut Crassus centies nonagies novies 11 -- 5 pro eo intercederet. Laudat Plutarchus curam, quam impendit Cæsar, in obætorum & creditorum in Hispania medendis controversiis. Statuit enim ut ex debitoris proventibus ferret quotannis creditor bessem, reliquum rediret ad dominum, quoad æs alienum esset dissolutum. At colligere nequeo, quomodo tale medium lau-



dem mereatur, nisi forte tanta foret obæatorum multitudo, & hujusmodi, ut periculum minaretur civilis seditionis, si ordinaria juris via procederetur. In tali enim casu cupere potest princeps vel respubl. ut civis suum incommodum dicet communi salutis. Concludamus posita regula generali, quod princeps vel respubl. non debeat condonare debitori debita cum privatis contracta: sitq; regula altera, exceptionibus limitata, quod nec etiam mora concedenda sit: quoniam & condonare debita, & concedere moras adversantur justitiæ commutativæ, quæ vult, ut quisq; suum habeat: ideoq; & jus quæsitum, ut legum periti appellant, communiter dispensationem non admittit, ubi dominus non amiserit sua culpa & reatu. Sed dubitabit hic quispiam de eo quod asserui, quoniam cernimus concedere legem præscriptionem & usucapionem, quod est transferre veri domini jus in alium. Præmitto hoc loco tanquam notum, quid sit præscriptio & usucapio apud Juris peritos, & Theologos quoq; qui a legum peritis & canonum interpretibus similia mutuuntur vocabula: remitto itaq; lectorem ad Instituta & Codicem, ubi Doctores, & ad Canones qui explicant, approbantq; unam alteramq;. Respondeo itaq;, quod in usucapionis & præscriptionis negotio lex tantum abest ut offendat justitiam commutativam, ut etiam stabiliat securitatem privatorum dominorum. Nam si aliorum foret arbitrij, dicam mihi scribere propter bona a meis antecessoribus ultra hominum memoriam possessa, inventu instrumenti cujusdam antiqui, cujus abolitio mihi esset incognita, omnis mea possessio futura esset incerta: quæ causa est cur lex nolit, ut res possessæ elapsis quadraginta annis quocunq; prætextu in litem vocari possint, si immobiles sint, si vero mobiles, tempus brevius exigitur. Ita ut securitatis privatorum dominorum ergo introducta sit una alteraq; in remedium, simul etiam puniat negligentiam dominorum, qui tam diu cessarunt ad prosequendum & exigendum jus suum. Quare ab una parte in pœnam negligentia tollit jus & dominium neglectum, ab eo qui verum dominium habebat: ab altera parte tutos reddit a litibus & fraudibus fundos civium, quæ exoriri possent ob temporis longitudinem.



De



## De electione bonorum iudicum.

## CAP XLIX.

**D**E electione iudicum bonorum, qualis esse debeat & quomodo, satis dictum est superius capite 37. *de merito quantum ad bona publica &c.* ubi iudex comprehenditur sub magistratu, imo adhibita auctoritate S. Scripturæ de iudice sermo fuit. Quare superest hic tantummodo ut proferamus, quomodo avertenda sint impedimenta ad nanciscendum iudicem bonum, simulq; quomodo iudex cura Principis servandus sit in bonitate sua. Igitur quoniam auctoritate divina comprobatum est, teneri iudicem non solum alienum esse ab avaritia, sed & illi infensum vitio: hinc venalia exponere sive directè, sive indirectè, iudicum munera, plane repugnans est bonæ eorundem constitutioni; nam qui emit, vendere vicissim vult. Quare saluberrima fuit sanctio illa Pii V. quam refert, laudatq; Martinus Navarrus, (Manual cap. 25.) cujus verba sunt: *nemini in posterum licitum sit, aut per nummos, aut per merces, aut largitiones promissionesve rerum aliarum, aut intercessionem aliorum, vel aliter, quomodo etiam sit, conari ut consequatur aut obtineat dignitates quasdam & officia, quibus Jurisdictio copulata sit: Et si ullo modo dici vel cogitari possit, quod hisce contraventum sit ullatenus, volumus ut illius, qui contravenit, sine remissione bona omnia statim fisco adjudicentur, ut amittat tam privilegium Doctorale, quam omnia officia tam secularia, quam ecclesiastica, quæ adeptus est, Et tandem ultimo supplicio afficiatur.* Ita semper ille laudandus Pontifex. Sed quid utilitatis attulit, sancta illius mens, & lex, si non observatur unquam, nec hodie memor illius quisquam est? D. Thomas in pulcherrima quadam ad Ducissam Brabantiaë responsione in disputationem trahit, an venundari possint officia, scilicet quæ jurisdictionem conjunctam habent, ponitq; binas conclusiones: altera est, quod licitum sit ea vendere, at observatis binis conditionibus: ut venundentur personis, quæ habentur idoneæ ad ea admistranda: secundum, non tam caro pretio, ut impensi sumptus recuperari nequeant a muneribus præfectis, sine subditorum onere & damno. Altera conclusio est, quod non expediat ea vendere, quamvis sit licitum, nam secundum Apostolum, multa licere, quæ non expediant. Pono verba ipsa secundæ conclusionis, ejusdemq; rationem

nem



nem, ut apud eundem D. Thomam loco citato leguntur. *Sed tamen talis venditio expediens non videtur. Primo quidem quoniam contingit frequenter, quod qui essent magis idonei ad huiusmodi officia exercenda, sunt pauperes, ut emere non possint, & si etiam sunt divites, illi qui meliores sunt, talia officia non ambiunt, nec inbiant ad lucra ex officio acquirenda. Sequitur igitur, quod ut plurimum illi officia in terra vestra suscipiant, qui sunt ambitiosi, & pecunia amatores, quos etiam probabile est subditos vestros opprimere, & vestra etiam commoda non sic fideliter procurare. Unde magis videtur expediens, ut boni homines, & idonei ad suscipiendum vestra officia eligantur, quos etiam invitos, si necesse fuerit, compellatis; quoniam per eorum industriam, & bonitatem majora accrescent vobis, & subditis vestris, quam de prædicta officiorum venditione acquirere valeatis.* Hæc Divi Thomæ digna sunt ut legantur, & in usum deducantur in præsentem prava consuetudine, quæ in statibus amplissimis & in medio positis ad imitandum viget, in quibus venduntur præcipua munia.

Unum in adducta doctrina non plane mihi placet, estque; quod venditio sit licita, etiam si non expediat: idque; propter argumentum, quod postea profert, quod non conducatur ideoque; quod subditis oppressionem conciliat: ita enim communi utilitati subditorum adversatur. At vero omne illud, quod repugnat communi utilitati subditorum, tanquam quod adversum sit recto fini regiminis, iniquum est, & illicitum; & ego insistens primo meo fundamento, subjungo, quod impediatur rectam administrationem justitiæ, cujus Princeps custos est. Quare iniqua est ejusmodi venditio & fugienda penitus, ut mihi videtur, etiam si Navarrus cum Thoma defendat licitam esse. Sed revertens ad ea, quæ ego ex dictis D. Thomæ probo, quæ cetera omnia sunt, etiam Plato ita opinatur, avaros & ambitiosos non regere bene, nec esse posse magistratus bonos. Platonis verba sunt. (lib. 1. de justo.) *Hæc igitur de causa, neque pecunia, neque honore ducti boni viri imperare volunt; neque enim aperte pecuniam magistratus præmium accipientes mercenarii vocari volunt, neque clandestinum fures, neque rursus honoris causa; neque enim ambitiosi sunt.* Sacri canones (Ne Prælati vic. su. cap. 1. 2. 3.) vetant jurisdictionem spirituales, & ecclesiasticam vendere: argumentum etiam seculari competit, hoc enim fertur, (eod. cap. 2.) *quod ad sacerdotum gravamen, & subversionem judiciorum, non sit dubium redundare.* Jam effectus subversionis judiciorum complectitur etiam jurisdictionem secularem: ideoque; Panormitanus (in d. tit. cap. 1. & 2. ne

Præ-



Prælati vic. su.) extendit quoq; ad Principes seculares, & ad lucrum ab iis captum pro muneribus secularibus suæ jurisdictionis, vocans illud fordidum, quodq; illud capientes mortale committant peccatum. Et testatur Navarra (d. loc. manual. cap. 25.) communiter receptum esse Panormitanum: licet ille velit dictum restringere ad personam, quæ superiorem agnoscit. At verius est dictum Panormitani absolutum, quam Navarrae limitatum. Sit itaq; stabilita conclusio, quod munia judiciaria nullo modo venalia sint exponenda. Sub qua conclusione comprehenditur, quod officia quæ inserviunt iudicio civili vel criminali non venundanda sint. v. g. illa officia, quibus qui præsumt sententias tam civiles quam criminales expediunt: enimvero illi ut resarciant quod impenderunt, ulteriusq; lucrentur, sæpenumero stratagemata machinantur pauperi plebi, pejora exactionibus turcicis. Nec vero iudices remedium huic rei sufficiens invenire possunt: nam publicani conqueruntur apud cameram Principis cum protestatione, quod in futurum proventus imminuentur, sicq; minus ærarium principis augeatur. Ut ita eo respectu iudices etiam integerrimi non nihil dissimulent: at post illa percipientes insigne augmentum lucri, quod ad eos etiam ideo redundat, accomdant illi rei progressu temporis conscientiam & desiderium. Hæc res pro dolor hodie ubiq; in usu est. Resp. Veneta hac in re singulari exemplo versatur. Ad urbes enim & regimina momenti majoris nobiles mittunt, qui longe remoti a lucri desiderio, regimen egregia laude exercent, officiiq; præfectos admodum observant: in regiminibus minoribus, quorsum sæpius ablegant nobiles minus divites minusq; ornatis virtutibus, subveniunt indemnitati populi severa pœna, sine respectu nobilitatis ministeriis præfectorum, si fontes deprehendantur admissæ injustitiæ. Polybius inquit: Romanos rem turpissimam habuisse lucrari ex commissis administrationibus provinciarum, ut ex adverso Carthaginenses quodvis tale lucrum gloriosum reputabant. Confirmat Cicero (lib. 2 de offic.) contemptum lucri in antiquis rectoribus Romanis provinciarum observatum, ubi inquit: *nostri autem magistratus, imperatoresq;, ex una hac re maximam laudem capere studebant, si Provincias, si socios, equitate & fide defendissent.* Jam si principes ethnici tantam sibi præfigebant in suis regiminibus honestatem, quid decebit facere Christianos principes, interq; eos magis conspicuos? Quale genus regiminis tenentur illi referre? quod justitia abundet, nec in ulla parte vacillet; quod charitate affluat, quæ usq; ad severitatem pœnarum transcendat in



gratiam amoris divini : quod in eminentia finis sui, aut amiserit, aut plurimum infregerit desiderium bonorum minorum, voluptatum, amplitudinis suæ vel suorum: sed se ipsum dederit voluntati divinæ in utilitatibus subditorum quærendis, & magna industria procuret notum facere exemplo vere Christiani imperii, quanta differentia sit inter legem Christi & illius institutionem, & superstitiones infidelium.

Ceterum cum non sit satis elegisse bonos judices: cum ob humanam fragilitatem corrumpi possint, quod opportunitates peccandi nacti sint, & frequentes occasiones, ex auctoritate magistratus sui; quare opus est, ut princeps studeat retinere eos in bonitate principio in illis vel cognito, vel ficto: nam magistratus insignes & continui corrumpunt animos: nec est cujusvis ingenii ferre incrementum prosperæ fortunæ. Est quidem remedium unum, sapius eos mutare: sed est remedium quod difficultates patitur plurimas. Principio enim electiones multiplicantur, & ubi complures sunt electiones, haud aliter fieri potest, quam evenire errores plurimos in imperiis amplissimis, ubi competitores ignoti sunt munia conferenti, & ex relatu fautorum sapius meritum falsum nunciatur. Præterea quendam virtutibus ornatum in præfecturas longe remotas ad breve tempus ablegare, insigne affert detrimentum: cum cunctis necessum sit domum ornare splendide, quod quocunq; fiat modo, una cum itione sumptuosum est, & molestum admodum.

Nec forte foret inutile, ubicunq; resideret quispiam pro principe, esse ibi domum ornatam ex publico arario, ita ut in inventarium relata sint quæcunq; ornamenta per ministros camerales, aut fisci principis præfectos, minimum suppellex pretii majoris.

Credo esse remedium optimum Principem certis diebus sui aditum præbere, & audire querimonias oppressorum, eas diligenter examinare, quæ ad iniquitates judicum pertinent, & ministrorum suorum, & si eos deprehendat culpæ obnoxios, ut in casibus minus gravibus severe illos admoneat, in gravibus severe eos puniat: enimvero qui sub pallio, & cinctus gladeo justitiæ, hoc est auctoritate publica, injustitiam committit, reddit peccatum, etiamsi sua natura non grave, eo respectu gravissimum.

Cæsar Valentinus aliàs homo perditus amputari jussit caput Raimundo ministro suo in foro Cæsenatum, ubi sedem suam ex locis sibi subjectis haud paucis fixerat, ob querimonias illius civitatis populi, & ceterorum subjectorum. Cambises curabat detrahi iniquo judici pellem, eaq; operiri sellam,

cui



cui infidebat filius defuncti jus dicens populo, quem volebat patri in officio suede re. Et quoniam longiusculè remotorum a sede sua pauci ipsum adire queant, tantummodo schedis memorialibus de injuriis conquerantur, non vero contemnat princeps lamentationes illorum, cognoscat eas, & justè dolentibus justitiam reddat manifestam. Clemens Octavus admirabilis fuit in continendis in officio præsidibus provinciarum, etiam legatis, magis adhuc minoribus præfectis muniis. Videtur post illa axioma invaluisse, non esse ministrum dignitate sua exuendum, & ita non punitur; aut si quandam luit pœnam acerbæ objurgationis, aut semotionis ab officio, fit tali pacto, ut non appareat in pœnam iniquitatum a dolentibus relatarum dari: cum ita dolentibus jussa non innotescant. Qui agendi modus populum reddit dubium, & cum spei videant parum, maximam partem perferunt injurias & mussitant: & judices, muniisq; præfecti confirmant se in eo, ut pro lubitu agant suo.

*De impedimentis quæ administrationi obsistunt justitiæ, & primum quæ propter potentiam debitorum obveniunt, ejusq; rei remedia.*

CAP. L.

**E**terum non obstante æquitate judicis, obstacula quædam sunt, quæ impediunt justitiæ executionem, quorum alia proveniunt ex debitorum potentia, alia ex artibus, astutiis, & fraudibus Advocatorum, Procuratorum, Scribarum, Notariorum, similibusq; ministrorum. Quod ad potentiam debitorum, alicubi tanta est, ut non audeant judices in eos sententiam ferre: alicubi executores, non audent in bona damnatorum mandata a judicibus tradita exequi: alicubi judices rectè sententias dicunt, & ministri jussa exequuntur, at creditores, cum illis hoc pacto molesti sunt, non tuti sunt, ne ob vindictam ipsi lædantur, non nunquam occidantur. Remedia adversum hoc impedimentum varia sunt excogitata, & adhuc excogitari possunt, quæ ad bina capita hoc modo reduci possunt: aut præstare, ne quis civium potentia nimia crescat, aut efficere, ne quis audeat abuti



ea in opprimenda justitia. Quod ad impediendam potentiam nimiam, Lycurgus conabatur illud præstare æqualitate facultatum: (Liv. lib. 6. c. 35.) deinde Romani ea lege, ne quis plus quam quingenta jugera agri possideret. Potentiæ nimium auctæ opposuerunt Athenienses Ostracismum, haud simpliciter rejectum ab Aristotele. At impedire, ne existat inæqualitas notabilis etiam inter subditos ejusdem status, haud quaquam fortè res est quæ fieri potest, nec etiam planè utilis: enim vero necessum est intercedere discrimen, inter divites & egenos, alias si omnes divites forent, quis daret operam exercitiis, quæ manuum sunt laboriosis, & exiis aliquibus fordidis & vilibus? nemo privatus serviret alteri, & tandem esset defutura commoditas omnis, & plurima ad vitam necessaria, ut colligitur satis ex Aristophanis Pluto, quorsum remitto lectorem. Datur porro inæqualitas inter nobiles & ignobiles, & inter nobiles ipsos; sed quæ magni refert differentia, observatur in togata virtute & militari, quæ efficit sæpenumero inæqualitatem insignem admodum, maximè si accedant beneficia publico excedentia. Furius Camillus, qui præter captos Vejos, & partas alias plures victorias, Romam è Gallorum manibus recepit, quantum excedebat ceteros Romanos cives? Scipio Africanus, qui præter Hispaniam subjugatam, finem imponebat clade Hannibalis secundo bello Carthaginensi, quod satis periculosum fuerat Romanis, quomodo non poterat amplitudine ante cellere ceteros Romanos cives? Quare optimè dixit Seneca, quod sua amplitudine libertati Romanæ *scrupulum injiciebat*, idemq; exilium voluntarium elegerit. Neq; etiam utilis est æqualitas: etenim omisso discrimine ante prolato inter divites & egenos, etiam principatibus majorem splendorem conciliat dignitas subditorum: veluti in Gallia, Hispania, & Anglia claritatem addunt istis Monarchiis subje&ti Barones, & splendidis dotati titulis. Nec etiam in Italia defunt subditi excelsis titulis ornati, qui ornamento sunt suis principibus cum comparent, tamen in pace, quam in bello. Fabula Briarei, (Homer. lib. 1. Iliad.) qui tutum, & immunem præstabat Jovem a conjuratione facta a ceteris Diis, demonstrat, quod majori auctoritate, & hinc meliori successu in rebus arduis principibus inserviant homines excelso loco, quam infimo nati: ut tamen animus mihi non sit negare per ea, quæ dixi, quod summum fastigium virtutis non superet excellentiam alterius cujuscunq; boni. Est itaq; rectius consilium, curare ne potens abuti velit potestate sua, ad opprimendam etiam in sui dispendium justitiam: quæ voluntas provenit, aut ex amore honestatis, aut metu pœnæ, alicujusve mali, secundum tritum illud.

Ode-



*Oderunt peccare boni virtutis amore.*

*Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

Ad primum ducuntur homines optima institutione. Ad eandem laudabilem animi moderationem tendebant antiquæ leges equestres, quibus se obstrangebatur ritè vir ordinis equestris ad juris defensionem: nam simul ac gladio accingebatur, hæc illi dicebantur verba, binas acies significare justitiam & fidelitatem, at tuendum pariter egenum adversus divitem, & debiliorem contra potentiorum, ne potentior istum pessundet. Remedium timoris magis generale est & violentum, ideoq; & ipsum divisum tam gradibus quam speciebus. Distinctio graduum est, ut timor magis minusq; gravis sit. Gravissimus ille est, quem Muscoviæ primatibus magnus Dux instillat, qui suo arbitrio ex nobilibus plebeios facit, & ex plebeis nobiles, per quod retinet in timore perpetuo, & maximo, imo servili, quemlibet qua etiam sit amplitudine & præstantia. A metu hoc excedenti qui imperio tyrannico convenit, progressus fit ad gradus alios medios, quorum ille satis adhuc eximius est, quem legum severitate & pari executione invexerunt Summi Pontifices in ecclesiastico statu. Sixtus V. legem condidit, pœnam dictitantem mortis cuicumq;, quæ etiam forte foret, remoranti quocunq; modo executores in negotio executionis, quam etiam severè observari curavit. Ea; propter suspensus fuit juvenis, quod ministris volentibus decretum exequi, & capere bona non ad debitorem pertinentia, non nihil obstiterit. Clemens IX. vita spoliavit magistrum domus Cardinalis Farnesii, quod licitoribus dixisset, revererentur domum illius Cardinalis. Cesenæ vita privarunt Balthasarum Tibertum Comitem montis Giotronis, quod licitori dixisset, executionem cupienti peragere domi viduæ nobilis, cui ille patrocinebatur, caperet potius hoc, quam illud pignus, quod tamen valoris ejusdem erat, nec mandato impar. Propter hujusmodi imperii severitatem, similesq; alias in statu isto hodie celerrima est executio sententiæ adversum potentes lata, cum non tam metuantur barones & titulis præditi, ut domibus eorum sententiarum executio non peragatur sine ulla difficultate. Et pro securitate creditorum, in procurando quod illorum est, aliæ datae sunt leges, quæ pœnam mortis dictitant, injuriis occasione litium alicui illatis, quæ pœnæ facto comprobato severe ad effectum perducentur.



Alius timoris gradus satis acer, attamen mitior & præstantior ante dictis, cum quidpiam quasi timoris filialis in se habeat, existit, si Princeps gravi admonitione magnates adhortabitur primoresq; Regni, quod sua excidet gratia, quicunq; debita sua non persolvat, aut re dubia minus potentes impediet jus suum persequi, quodq; ejusmodi justitiæ oppressionem in sui opprobrium sit tracturus. Credendum est, quemlibet eorum lubenter creditoribus satisfacturum esse, & horum exemplo minus potentes commotum iri, ut pates se gerant. Admonitio severa principis auctoritate pollentis ad magnates fulgur est, quod sine fulmine alio ferit & terrorem incutit. Fulgur fuit illud Cæsaris ad suos milites veteranos tumultuantes, qui solum hoc, quod Quirites appellabat, (quo facto eos missos faciebat) adeo terruit, ut supplices veniam rogarent, & apud exercitum se retinerent. Versabatur inter hos gradus, & remedia tali mediocritate motus ille Cardinalis Justiniani Legati apud Bononienses, eratq; quod cum quispiam satis probasset debitum, quo illi obstrictus erat potens nobilis, jubebat de suo creditori persolvi, & postea repetebat a se solutum vicissim a debitore, qui sine alia vi persolvebat debitum, & si fuisset opus executione, ignominiam tulisset a Legato, non a suo creditore, & ita judicium finiebatur magis prompta expeditione, majoriq; securitate ex parte creditoris vilis, & minus potentis.


Quod nam ex hisce remediis sit præferendum, absolute defini non potest; enimvero superius vidimus, quod in eligenda poenæ gravitate majore vel minore, plus una re sit perpendendum, & in specie quod populi propensio spectanda sit, si forte longa consuetudine peccato cuidam jam consuevit. Applicans res illi prolatas earumq; fundamenta ad nostrum propositum, dicerem, in optima rep. adhibendum esse incitamentum novum ad virtutem justitiæ, & ita denuo accendendum esse amorem honestatis in illo, qui inde affectu quodam compulsus deviasset, & si posthac persisteret in sua iniquitate, tanquam disciplinæ civilis incapax, exesse juberetur è civitate, cujus indignus filius est & civis. In ceteris rebus, non optimis, scilicet ubi deest optima educatio, distinctione uterem, si commune ingenium personarum proclive adeo esset ad dolorem & vindictam, ut opus esset valenti remedio ad sanandum, eo casu cura in statu ecclesiastico recepta necessaria foret; quo in statu, anteaquam Sixti severitas, quam maximam in partem postilla secuti sunt successores, repressisset feroces animos, vigeant partium studia per eadem & sanguinem, & efferè vindictam suscipiebant injuriarum, quæ verarum, quæ fictarum,



starum. Sed summatim, non est utile nimium implere timore servili, (qualis est ille pœnarum) nobiles & excelsos equestris ordinis viros, ne perdant honestos spiritus decentes sortem eorum, utq; majori animo, cum opus est, Principi & reipublicæ inservire possint. Non displicuit Carolo V. generosum Albani Ducis responsum, qui rogatus ut palatium suum Carolo Borbonio in hospitium concederet, dixit, non se obedientiam suam suæ majestati regie posse negare, sed quod egresso Borbonio crematurus esset illud, velut receptaculum quondam proditoris. Ille Princeps, qui subditos nutrit timore erga se servili, militarem iis exuit animum adversus inimicos publicos. Quare temperanda sunt contraria hæc momenta rerum, & sic ponderandæ pœnæ. Eamq; ob rem jam non nihil moderaminis bulla Sixti passa est: & sacrum concilium, sine cujus mandato nemo in Provinciis vita privatur, non levem rationem habet personarum, & casuum nunc temporis: videre enim est spiritus demissos planè: & si aliter ageretur, periculum esset, ne tollendo oppressionem minus potentium, incideretur in potentium depressionem etiam innocentium, velut expositorum falsis executorum nunciis. Ideo lex communis pœnam dicitabat pecuniariam impediendi executionem jussorum judicis. Finio hoc axiomate: cum virtutes morales sitæ sint in medio binorum extremorum vitiosorum, attendere oportet, cum leges præsertim conduntur, ne in unum extremum incidamus, fugiendo alterum.

*Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,  
Quos ultra citrag, nequit consistere rectum.*

In Malabar ait Marcus Paulus (lib. 3. cap. 20.) morem esse, ut si creditor cingere suum possit debitorem circulo in terra descripto, hic inde exire nequeat antequam satisfactum sit creditori, aut caverit de debito. Et recenset Regem istius loci circulo circumdatum esse a mercatore quodam peregrino cui debebat, tum vero noluisse eum inde egredi, nisi soluto mercatori debito: eaq; ex re Regem apud populum nomen egregiè justæ acquisivisse.



Im-



*Impedimenta, quæ obstant justitiæ per artificia, & fraudes Causidicorum, & Ministrorum, eorumq; remedia.*

CAP. LI.

**I**mpedimentorum species altera, quæ justitiæ opponuntur, insidiæ erant, quæ consistunt in artibus Advocatorum & Procuratorum, horumq; maximè, & fraudibus Notariorum, & scribarum, quarum alia conspirant ad protrahendas in æternum lites: quam ob rem coguntur pauperes causa cadere, licet jus ipsis non desit, sed quod ferre non possunt tantum temporis & sumptuum dispendium. Cognitum fuit moræ periculum Legumlatoribus, quæsitumq; remedium illi rei, sed in vanum. Justinianus (Cod. de jud. l. properandum.) prohibuit, ne finerent judices quamcunq; litem ultra triennium in judicio pendere: at sine effectu, quantum videtur. Hodie propter infinitum librorum legalium numerum & repet. & consulentium, & tractatum & glossarum, magis adhuc diuturnitas increfcit. Qua ex re apparet, quam prudenter Justinianus vetuerit commentari, & scribere in leges collectas. At Lotharius Imperator contrarium concessit, quod studium efficit immensum, & lites infinitas. Nihilominus si judex ea prudentia esset ac bonitate, qua deberet esse dotatus, conferret plurimum ad frenandam longitudinem & cavillationes Procuratorum & Advocatorum. Ut pariter si Advocati & Procuratores viri forent probi, qui justitiam cuperent non vile lucellum, aut minimum ultra quod justum esset clientes defendere nollent, nec artes suas cum damno justitiæ vellent ostendi, lites non potraherentur ultra modum. Plato (lib. II. sub finem de legib.) in malitiosos & iniquè callidos litium patronos, severam condidit legem, quæ in optima republica revera digna est ut habeatur, & observetur. Verba ipsa pono. *Verum cum multa in vita hominum bona sunt, pluribus eorum, quasi quædam dira calamitates insident, quæ maculant illa atq; coinquinant. Judicialis autem disceptatio judiciumq; cur homini bonum non est, quod humana omnia mansuefecit? Atqui cum disceptatio talis, bonum sit, cur & adesse in lite alicui, & causa justæ favere bonum non sit? Hac*

*cum*



cum ita sint, perversa calumnia bonum artis subit nomen: quæ artificium in libris invenisse asserit: quo agenda & dicenda, sive honesta, sive turpis sit causa, superare facile quis possit: victoresq; facere, quibus ipsa rationibus suis favet: si pro artis ipsius beneficio pecunia dabitur. Hæc sive ars, sive artis expertæ exercitatio quædam sit: danda opera est ne in nostra civitate aditum habeat: sed legum verita conditorẽ, nihil adversus leges proferat, & aliud profecta vires suas ostendat. Si quis vero non pareat, hac lege deterreatur. Si quis justitiæ vires in animis judicum in contrariumvertere conetur, ac præter opportunitatem multa litigia movet, aut moventibus adest: agat in eum quicumq; voluerit, malè agendi, aut deniq; defendendi crimine, iudiciumq; huiusmodi apud electos iudices agitetur. Et si damnatus fuerit, discutiat, utrum avaritia, an ambitiosa quædam contentione id fecerit. Ac si contentione, certum ipsi iudices tempus præscribant, in quo neque pro se, neq; pro alio ullam agat dicatq; causam. Sin autem avaritia, peregrinus quidem a regione, nunquam rediturus abito, & si redierit, moriturus. Civis autem si avaritia id fecisse deprehendatur, quoniam pecuniam tanti fecerit, omnino moriatur. Quod si ambitiosa contentione bis tale quid fecisse iudicatus fuerit, id ipsum supplicium subeat. Sanè hæc bina remedia, iudex bonus, & Advocati & Procuratores justitiæ amatores, mederentur huic infirmitati publicæ litium diuturnitatis, fallaciæ, & cavillationum, quibus se mutuo exercent scopenumero. Et si verum fatendum est, unicum solum sufficeret: enimvero si iudex summæ esset prudentiæ & integerrimæ justitiæ, fallacias rejiceret, & numerum actorum rescinderet, & instantiarum factarum ad justitiam obnubilandam, minimum ad producendas lites. Nam optime dixit Justinianus, nam si ipsi iudices noluerint, nullus tam audax invenitur, qui possit invito iudice litem prorelare. Et ex parte altera, si Advocatus & Procurator recta incedat via, nullus erit, qui fraudem faciet ex artibus legalibus. Quod si utriusq; partis rectitudo conspirabit, iudicis nimirum, & causidicorum, dubium non est, quin omnis litium corruptela cessatura sit.

Superesset solum suspensio in casibus valde controversis inter gravissimos Jctos, quam tamen fovet controversiam maximè copia librorum legalium: quare tollere tantam librorum multitudinem, minimum restringere numerum Doctorum, quibus in iudiciis utendum esset, ad numerum exiguum clarissimorum, consilium foret magnæ utilitatis. Res quæ nota fuit & tentata ab hodierno Duce prudentissimo Urbinatium Francisco Maria Roverensi



rensi. Sed in univcrsum desiderari potius potest, quam sperari tam saluber-  
 rimum remedium. Sed hac de re infra iterum mihi sermo e-  
 rit.

Quod ad fraudes Notariorum, in extendendis contractibus & ultimis  
 voluntatibus, quæ soepius non exprimunt voluntatem contrahentium, vel tes-  
 tatorum, addendo iis vel minuendo, vel ex ignorantia vel malitia, eousq; interdum  
 procedit, ut contractus conficiant & testamenta ficta in ligni privatorum dam-  
 no: ut accepimus soepenumero Neapoli usvenire. Et Romæ tempore Cle-  
 mentis Octavi loca montibus perscripta, vendita sunt pari fraude: quod ad il-  
 las itaq; fraudes, sub falsi nomine veniunt, quale delictum pœna capitali in hoc  
 casu puniendum est: scilicet Notarius, qui instrumentum falsum conficit, in  
 quodam regno morte punitur: at in Ducatu Mediolanensi prima vice non  
 morte mulctatur, sed si iterum committat idem delictum, igne crematur, ut  
 testatur Clarus suo tempore binis Notariis contigisse. Gravi itaq; pœna fraus  
 adeo damnosa & periculi plena punienda est, ne latius extendatur, & propter  
 exemplum. Ignorantiæ obviam eundem est pœna, licet non tam gravi, attam-  
 en alicujus severitatis: is enim peccat, qui non callet artem, quam pertracta-  
 re suscipit, maxime cum concernit commoda eximia plurimorum.

Remedii præservativi loco esset, ut notariatus a præcipuis exerceretur  
 hominibus. Aristoteles ad ejusmodi officium magistratum constituebat, &  
 notarii hodierni etiam sibi nomen tribuunt judicum ordinariorum.

Et revera error politicus est satis insignis, tantam largiri auctoritatem &  
 fidem Notario, ut ipsius assertio cum paucissimis testibus transferat domini-  
 um facultatum opulentissimarum: sane fiducia & fides, quæ scripto Cardi-  
 nalis cujusdam non tribuitur: & ex altera parte ignobilem putare, qui officio  
 ejusmodi fungitur. Aut fides officio derogetur, aut nobilis, qui id obeat, ha-  
 beatur. Olim apud nos officium hoc magni æstimabatur. Audiō modo Medio-  
 lani neq; adimere, neq; tribuere nobilitatem. Et Veronæ imperit potius no-  
 bilitatem, qua in re illa civitas pro ceteris laudanda esset. Facit Paulus Æmi-  
 lius in sua Galliæ (lib. 3.) historia mentionem discriminis, quod versaba-  
 tur inter Romanos & Græcos, quorum illi vile putabant Cancellarii munus:  
 at Græci magni illud æstimabant, adducens auctoritatem Æmilii Probi. Ad-  
 ditq; idem Æmilius in Galliis amplissimum munus esse, ut & in Burgundiæ  
 Ducatu, in quo Cancellarius erat Archiepiscopus Viennensis, & in Francia Ar-  
 chiepiscopus Parisiensis. Et Romani Imperii summus Cancellarius est Archi-  
 episcopus



episcopus Tre virensis. Venetiis quoq; summi Cancellarii munus magnæ dignita-  
tis est, & quod non datur nobilibus, ex lege prudentissima fit, ut cives explean-  
tur: non quod nolint in se illud recipere munus, cui etiam cedunt nobiles, etiam  
magistratum gerentes plerumq;. Finio, aut derogandam esse Notario fidem  
tam insignem, quæ illi tribuitur, aut si reliquatur fides, eidem honor simul  
detur, ut exerceatur munus a personis præcipuis: alias gravissimus politicus  
error est, connectere binas res communiter longe ab invicem dissidentes,  
videlicet personam vilem, & fidem in-  
corruptam.

FINIS. I. Partis.



X 2

Part

ber-  
e-  
imis  
el te  
dum  
dam-  
Cle-  
ad il-  
hoc  
it, in  
non  
r, ut  
fraus  
ppter  
atta-  
acta-  
retur  
at, &  
em &  
mini-  
ardi-  
fficio  
, ha-  
edio-  
s no-  
Emi-  
faba-  
nus:  
Ad-  
ndiæ  
Ar-  
chi-  
opus



## Pars Secunda

*De justo extraordinario, hoc est, contra vel  
supra justum ordinarium.*

## CAP. I.



**T**ranseamus ad justum extraordinarium, hoc est, contra, vel supra justum ordinarium, in quo collocari rationem status ab iis, qui eam definiunt contraventionem juris communis, jam superius dixi. Consideremus igitur tanquam fundamentum, quod quemadmodum justum ordinarium, cum sit secundum leges optimæ reip., per se æquum est, ita extraordinarium per se non justum est, cuius rei superius exemplum datum est, illatæ vid. pœnæ mortis ob furtum pomi. Hæc pœna perse iniqua est, haud æqua; ut ex adverso latrocinium morte punitum, per se justum est, & ideo ordinarium. Jam considerandum hic venit, an illud, quod per se ipsum justum non est, fieri ob copulationem cujusdam circumstantiæ possit justum, & præsertim ob rationem publicæ utilitatis. Quæ disputatio bina habet membra, ut non justum bina significata: enimvero altera est negativa, cum significat id, quod indifferens est, scilicet quod neq; æquum, neq; iniquum; altera contraria, & denotat injustum esse. Una itaq; quæstio est, an illud, quod per se ipsum indifferens est, ob circumstantias aliàs bonas, & imprimis ob finem bonum utilitatis publicæ, bonum & justum fieri possit. Altera quæstio est, an illud, quod per se ipsum iniquum est, ob circumstantiam quandam bonam, & cumprimis propter finem bonum æquum fieri possit. Ceterum ut rectius cognoscamus dubium, & veritatem ejusdem determinationis, repetere hic oportet ex Ethicis Aristotelis, (lib. 3. cap. 1.) qua de re plurimi Scriptores, at ego quod modo dicturus sum, in morali mea doctrina tradidi, (part. hygyenes lib. 3. cap. 2.) quod circa actionem moralem communiter res sex considerentur, quas multi circumstantias appellant. D. Thomas tamen non omnes circumstantias nominat: sed quoniam his de nomine est, negligamus illam & vocitemus communi usu circumstantias. Sunt itaq; quis, quare, quomodo, quando & ubi. Nonnunquam bina adduntur, cu  
five



five erga quem, & quo instrumento. Quis, personam exprimit, quæ agit, veluti cum se devoveret pro patria Decius (quis) Decius fuit, qui se devovit. (quidnam) devotio fuit vitæ, (quare) hoc est, finis fuit, ut exercitus suus victor evaderet, (quomodo) solemnè religione factum est secundum suos ritus, (quando) oportunum existit tempus ab augurum coetu expressum, (ubi) idem fuit campus, ubi prælium committebatur. Binæ alteræ copularunt se pugnae inter Davidem & Goliathum commissæ. Davides pugnator fuit: actio ipsum fuit certamen, (cum quo,) Gigas existit Goliath, (in quem finem,) ut honor Dei veri apud populum suum electum defenderetur, (quomodo,) fortiter & feliciter, occidit enim, (quibus armis,) petris & funda, (ubi,) in conspectu amborum exercituum Hebræi & Philistæi. Ex his circumstantiis binæ, id quod fit, & finis, quare fit, præcipuæ sunt, & actionis essentielles. Et prima a plurimis vocatur objectum, & bonitas quam illa actioni largitur, dicitur bonitas objecti: qua de re diffuse satis egi in mea morali doctrina. Et hoc (quid) est illud, quod communiter a legibus imperatum est, & justum legale, videlicet reddere depositum, pacta inita servare, filios educare, & similes actiones aliæ, quæ consistunt in eo, quod fit, includentes non nunquam hoc cui, & versus quem, videlicet cum prohibetur concubitus cum alterius conjugæ, vel laudatur, & nonnunquam imperatur cum sua. Hæc actio itaq; hocq; quid, non nunquam per se indifferens est, hoc est moraliter nec bonum nec pravum est, velut pedibus ire: aliàs moraliter bonum est, ut venerari patrem: aliàs pravum est, ut despiciere patrem, aut cum alterius conjugæ rem habere. Expositio itaq; dubii propositi est, an actio cum objectum est, idq; quod fit iniquum, possit propter utilitatem publicam, quam infert, & ita propter bonum finem æqua fieri. Itidem quæritur, an illud sit, quod committitur indifferenter. Ratio, quæ credere jubet, nunquam reddi posse actionem illam æquam, cujus objectum, sive circumstantia (quid) injusta est, pendet ex doctrina D. Dionysii Areopagitæ, comprobata hodiè ab omnibus Theologis etiam moralis doctrinæ scriptoribus, quod bonitas proveniat ex integra causa: estq; sensus, quod bonitatem actionis attineat, ut omnes circumstantiæ bonæ sint, quodq; satis sit, si una prava reperiatur ad prohibendum, ne actio purè bona habeatur. Dico purè bona, ad distinctionem boni *secundum quid*: etenim stipem dare pauperibus, ex se bona res est, sed si detur eo animo, ut paupercula virgo vitietur, cui præbetur, prava est, ideoq; nec actio planè bona est, eam tamen habet partem circumstantiamq;



bonam, quapropter vocatur bona *secundum quid*, non purè. Itaq; cum prava sit circumstantia (quid) quæ ex præcipuis est, necessario dicendum erit, quod quocunq; modo cæteræ posthac bonæ sint, sive partim, sive omnes, actio nequeat fieri absolutè bona. Quæ ratio etiam valere videtur, si eadem circumstantia (quid) indifferens sit: ob negationem, quam includit ex bonitate morali, quod nequeat inde exire actio purè bona. Cicero tamen in officiis (lib. 3.) quamplures affert actiones, quæ cum per se pravæ sint, bonæ evadant ob alias circumstantias, & præcipuè ratione finis. Una harum fuit exilium Collatini Tarquini, Bruti collegæ in pellendo e Regno Tarquinium Superbum; nihilominus paulo post coactus fuit deponere consulatum, & exilium legere. Quod sanè erat magistratu depellere & ex urbe civem innocentem, & quod plus erat bene promeritum. Attamen quoniam Tarquiniorum nomen invidiosum è civitate tollere, omnemq; eorum familiam utile reputatum fuit libertati, actio ex mente Ciceronis (lib. eod.) honesta devenit. Et alibi, depositum repetitum denegare, actio est iniqua; attamen gladium depositum non illi reddere, qui in perniciem patriæ eo uti institueret, ob publicam justum fit utilitatem: ita pariter gladium depositum domino mente capto non restituere, fit actio justa ob finem, ne eo vel se ipsum, vel alios lædat.

Ad determinandam hanc difficultatem binas præmitto conclusiones, respondententes binis dubii partibus separatim. Prima est, cum sit indifferens circumstantia (quid) ob bonitatem aliarum circumstantiarum, & cum primis finis, tantoq; magis si finis sit communis utilitas, absolutè evadit bona. Ratio hujus conclusionis pendet ex doctrina a me tradita in mea morali doctrina; estq; (part. Hygyenes l. 3. cap. 2. §. 3.) quod cum circumstantia complexa est bonitatem moralem, tum illam consequitur ex bono fine, ex quo in ipsam moralis bonitas refunditur. Exempli gratia, quando filia lacte suo nutrit patrem captivum, hæc actio per se inclusam habuit moralem bonitatem. Sic, quod quispiam deambulet per quoddam temporis spacium, hæc deambulatio per se ipsa non complectitur nec bonitatem, nec pravitatem moralem: at addatur illi finis bonus, quod deambulet præstolandi amicum ergo, quem admonitum vult insidiarum illi structarum, jam deambulatio ista fit ex copulatione finis istius etiam ipsa moraliter bona: etenim non solum morale bonum est, admonere amicum, sed ista deambulatio fit bonum morale, quoniam versatur, in expectando eum, ut admoneat. Ex hoc fundamento jam tale deducitur argumentum:

Quan



Quando omnes circumstantiæ bonæ sunt, & ad unum finem contendunt, actio absolute bona est.

At cum circumstantia (quid) indifferens est, & finis bonus, fictis bonis circumstantiis reliquis, omnes circumstantiæ bonæ erunt:

Igitur quando circumstantia (quid) indifferens est, at finis bonus, cæteræq; circumstantiæ bonæ, actio erit absolute bona.

Minor probatur. Nam ipsa circumstantia (quid) est per se indifferens, propter finem copulatum sibi evenit moraliter bona, velut in allato fundamento, quare fictis cæteris bonis, nulla reliqua erit, quæ non sit bona.

Ex hætenus deducta conclusione colligo propositam conclusionem, quod circumstantia (quid) cum indifferens sit, ex utilitate publica actio absolute bona reddi possit, dummodo cæteræ conspirent circumstantiæ, quoniam utile publicum nobilior & melior finis est boni privati.

Altera conclusio est, quod nonnunquam circumstantia (quid) esse possit injusta, ideoq; moraliter prava, & nihilominus resp. cæterarum circumstantiarum & cum primis resp. utilis publici esse possit tota actio absolute bona. Dico nonnunquam, non enim semper, nec etiam frequenter illud accidit. Ut cognoscamus igitur, quibus terminis conclusa sit veritas conclusionis, oportet petere ex schola hoc satis notum fundamentum, quod subjectum, vel prædicatum propositionum aliquando simplicia sunt, aliquando composita. Et cum sint composita, nonnunquam componentia mutuo, sibi repugnantia se invicem destruunt, nonnunquam minimè. Explico hæc per exempla.

In hac propositione, homo est animal, tam subjectum homo, quam prædicatum animal nomina simplicia existunt; at vero in hac, homo est animal ratione præditum, prædicatum constat ex binis voculis, animalis scilicet & rationalis: & in hac, brutum animal est irrationale, subjectum compositum est. In hisce exemplis tamen partes componentes, scilicet animal, & rationale, invicem non pugnant, neq; etiam animal & irrationale in exemplo altero. At si dicemus, cadaver est animal mortuum, termini prædicatum constituentes mutuo pugnant, animal & mortuum, etenim animal de vivente prædicatur, mortuum vero esse vitam excludit. Hujus generis prædicata dicuntur contradictionem pati in adjecto, hoc est in copula, quam Logici in propositionum terminis observant, potest, debetq; observari in circumstantiis actionum moralium. Exempli gratia, frater sec. communem regulam amandus est, & beneficiis prosequendus, quare eum lædere, magisq; adhuc ne-



care, actio injusta est. At vero sit frater hostis patriæ, ita ut terminus compositus sit, frater patriæ hostis, dico quod copula hostis publicus fraternitati adverte-  
 tur, & moraliter eum destruat. Dico moraliter, naturali enim modo, hoc est quantum ad vinculum consanguinitatis, manet frater in omne ævum : at vinculum illud morale amoris & charitatis, quod inter fratres intercedere debet, per publicas inimicitias destruitur, maxime si eas exerceat, sive quod actu ipso patriam affiliat, sive quod occupet : ut Timophanes frater Timoleontis Corinthum occupavit, communem patriam, tyrannum in ea se constituens. Ut ita, si circumstantia (quid) loco hujus quod fratrem quispiam occiderit, sit quod fratrem hostem patriæ vel tyrannum occiderit, quoniam adjunctum destruit moraliter fratris gradum, bona sit moraliter, haud prava. Quapropter non indiget, ut ceteris comprobetur circumstantiis, nec minus virium ullum actioni infert, ut non perfectè sit bona. Erit itaq; sec. hanc expositionem conclusio restricta. Quando circumstantia quid, terminus est compositus ex binis partibus contendentibus mutuo, quarum copula alteram subvertat, & factum existit injustum resp. partis primæ, at justum respectu actionis copulatæ, si cæteræ circumstantiæ bonæ sint, justa erit. Ratio est, quoniam & circumstantia (quid) bona erit ipsa, quia æqua est respectu partis quæ superest, & injustitia, quam tenebat, respectu partis sublata, cessat cum defectu partis ipsius. Comprobatur exemplo Timoleontis & similibus. Timoleon necis fratris auctor fuit, quoniam argumentis adductis, & exhortationibus ad eum factis, adduci nequivit ut ab incepto desisteret. Laudatus tum fuit Timoleon, & post illa semper inde laudem portavit. Filium occidere ex se malum est, sed si addatur, quod patriæ proditor sit, subvertitur in patre iudice vinculum morale pietatis paternæ: ideoq; Brutus filios condemnans, actionem peregit bonam, utq; videmus laudatus tum fuit, & postea semper. Verum quidem est, quod omne, quod in casu simili ultra justitiæ necessitatem esset, mea opinione non laudandum foret: velut si non foret necessum, ut executioni sententiæ latae adstaret pater consul, satis enim erat ad mortem condemnasse, idemq; aliis mandatum dedisse. Nam ut cineres retinent non nihil ex ligni cremati natura, & alia est cineris quercus, quam salicis natura, ita quoq; non nihil remanet residui paterni & fraterni gradus in dictis casibus, quod postulat testificationem gravatè nos illud facere, ad quod justitia, vel publicum commodum nos impellit. Et si Aristotelis ait, (lib. 7. pol. cap. 13.) *quod ultiones & animadversiones ex virtute quidem proficiantur, at quod fiant ex necessitate, quodq; laudi reputatur compelli ad eas exercendas*, quanto magis cum filii, vel fratres vitæ suppli-  
 cio



cio afficiuntur, vir probus ostendere debet paternum dolorem, aut fraternum, quod coactus sit propter ipsorum scelera ita in eos animadvertere. Quod dictum sit in transcursu. Superest ut argumento contrario respondeamus, cuius solutio tamen ex iis, quæ dicta sunt, apparet. Nam si circumstantia quid prava est, non asseritur, quod ex circumstantiis ceteris bona evadet, sed ipsa ex adjecto fit bona, quod adjunctum ipsius pars est, non alterius, ita ut ipsa illa includat bonitatem moralem, sine bonitate ceterarum circumstantiarum.

Sed afferri posset & hæc alia ratio in contrarium. Id quod per se pravum est, nunquam non malum existere potest: ideoque Theologi adstruunt, non licere mentiri etiam si salutare foret reip. quodque plus est, etiam si universo cætui hominum, sine peccato; enimvero cum illud sua natura pravum sit, nullo respectu ad bonum converti potest.

Respondeo, majorem positionem ejusque particulam per se indigere distinctione. Etenim quantum ad nostrum attinet propositum, duo habet significata, alterum est separationis, alterum est essentialis. Prima acceptio in his erit, si dicamus scammonium sumptum necare, hoc est, scammonium, si sumatur sine permissione aliorum ingredientium, quibus illud ad justam ducitur temperiem, & præparatur, vi veneni agere: qua significatione verum non est, quod quæ res per se prava est, non bona sit aliis associata, ut in exemplo scammonii elucescit, quod recte præparatum medicamen sit multis morbis salutare. Et in exemplo morali; severitas sine ulla comitate in regimine sæpenumero prava est & damnosa; at comitate temperata utilis est. Papyrius Cursor gravi severitate militum animos adeo læserat, ut cum vincere possent, ipsi nollent, ne quid illi gratum facerent. Quare post illa comitatem admiscuit, unde Livius, (lib. 8.) *Sensit peritus Dux qua res victoria obstaret: temperandum ingenium suum esse, & severitatem miscendam comitati.* Itaque adhibitis legatis ipse circum saucios milites inferens in tentoria caput, singulos ut sese haberent rogans, cur a meorum nominatim legatis, tribunisque, & præfectis demandabat: &c. At vero in significatione ea essentiali exprimente, vera est in perpetuum propositio: veluti homo nunquam non erit rationalis, & animal semper sensu præditum, quousque ille homo existet, & hoc animal. At cum additur illi quidpiam, per quod destruitur animal, velut cum animal mortuum dicitur, non amplius animal sensu instructum est: pariter morali modo, illud, quod pravum per se est, quousque moraliter manebit tale, quod erat, pravum erit: ut cædes fratris, quousque frater morali modo frater est, semper mala erit: at si ex copula fraternitas mora-



liter destruat, cædes fratris non necessario existet prava. Et sic quoq; respondeo auctoritati Theologorum: mendacium, quousq; mendacium est, est peccatum: at cum ex adjecto non fit mendacium, neq; peccatum est: velut cum parabola ut parabola adhibentur, & fabula pro fabulis, ex mendaciis non mendacia fiunt. Æneam vivum ad inferos descendisse, mendaciū est, at vero cum narratur ut fabula, non mendacium existit, neq; is, qui refert, mendax reputatur: nam se accommodat in propositione hac Æneam descendisse ad inferos ad fictionem poeticam, quod verum est, haud falsum. Expositum itaq; est, quomodo actio per se indifferens, propter bonitatem finis, & cum primis boni publici, præsentate bonitate ceterarum circumstantiarum bona evadat: & quomodo posset etiam actio per se iniqua, fieri interdum æqua absolute, maxime respectu boni publici: & partim ostensa est veritas conclusionis bimembris. Qua ex re constat, quomodo verum sit, quod peccata intrinsecus & sua natura talia, non possunt esse peccata, ut ait D. Augustinus lib. de mendacio cap. ultimo: & in Enchiridio cap. 13. lib. contra mendacium cap. 7. Qua distinctione & expositione destituitur doctrina Martini Becani in compendio manuali adversus hæreticos lib. v. cap. 20. illiq; adhibenda est.

*Examen locorum, in gratiam meæ sententiæ  
adductorum, ab auctoritate Ciceronis: ubi differentia ponitur  
inter rem injustam facere, & non facere rem  
justam.*

CAP. II.

**E**go ubi in utramq; partem disceptavi, protuli in favorem sententiæ, a me postea pro vera receptæ, nonnullas Ciceronis auctoritates. Prima fuit remotio a magistratu, & exilium Collatino insuper irrogatum, non ob rem aliam, quam quod habitus fuit civis libertati perniciosus, quod ex familia regia esset. Si consilium reip. istius hac in parte bonum reputamus, opus est ut circumstantiam (quid) efficiamus æquam ob adjunctum, hoc modo. In exilium mittere civem innocentem & bene promeritum, at damnosum ob quandam nimiam auctoritatem suam libertati, quæ addi-  
tio



tio tollit meriti partem antecedentem, innocentiaeq; quantum ad illud, quod in magistratu relinquendus est, & in civitate, verum quidem est, quod non facile crediderim periculum tantum exstitisse, ut meritum omne toleret Collatin bonitatis fideiq; reip. præstitum, in pellendo e civitate regis consanguineum Et Titus quoq; Livius de eo ambigit. (lib. 2. in principio) *At nescio (inquit) an nimis undiq; eam minimis quoq; rebus muniendo, modum excefferint. Consulibus enim alterius, cum nihil aliud offenderit, nomen invisum civitati fuit.* Addo, quod Cicero in comprobando facto absolute, ut facit, ita loquatur, ut videatur velle propter circumstantiam finis, utilitatis publicæ, æquum reddi iniquum factum: quod jam tum falsum esse ostensum est. Nam si circumstantia (quid) prava est, ex fine bona reddi nequit, si non habeat in se copulam, quæ ex prava bonam faciat.

Loci alteri Ciceronis erant, non reddere gladium depositum domino mente capto, vel illi qui uti eo contenderet in patriæ perniciem, ex quibus, similibusq; infert Cicero hæc: *Sic multa, qua natura honesta videntur esse, temporibus sunt non honesta, facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate sunt non honesta.* Jam considerandum est, multum intercedere inter res injustas facere, & non facere res justas. Discrimen est, quod modo priori legibus eatur contra negantibus, & secundo affirmantibus, quarum illæ constringunt semper & ubivis, ut communis scholarum loquendi formula est, at hæc semper, sed non ubivis. Verbi gratia, præceptum divinum negativum, non moechaberis, obligat semper, & ubivis, nam non datur tempus, nec momentum, nec locus, quo moechantes, non committamus peccatum. At affirmativum, honora patrem, matremq; constringit semper, at non omni tempore, & momento: nam ubi longius abs sum a patre, non teneor honoris signa illi exhibere, nisi forte datis ad eum literis, aut habito cum alio super eo sermone. At præter occasiones similes non obstrictus sum, nec etiam ut de illo semper cogitem. Præceptum affirmativum constringit me data occasione id agere, quod ejus concernit honorem, aut si in contemptum ejus quidquam tendat, tum teneor illius tueri honorem. Idem conceptus potest quoq; altero morali dicendi modo exponi. Quando res, quæ agitur, aut aliâ circumstantia (quid) bona est, velut reddere depositum, stare promissis, non mox ideo utile erit ut perficiatur: sed opus est aliis circumstantiis, ut finis, temporis, loci & modi &c. quibus deficientibus depositi redditio fieret actio prava, videlicet cum non reddatur quomodo debeat, & quando, & ubi



ficq; de cæteris putandum. Et quoniam in restitutione, circumstantia cui, ingreditur partem essentialiæ, ideo commutatis circa hanc conditionibus, ut si ex amico quis factus sit inimicus publicus, ex prudente vesanus, eam ob rem restitutio suspendenda est in tempus, & occasionem commodiorem. At quando factum, vel circumstantia quid est per se semperq; prava, ut furari, mœchari & similia, ejusmodi patrare actiones semper erit prava, qua etiam committantur circumstantia: nam actio, quæ unam nacta est circumstantiam pravam, & præsertim ex essentialibus, velut hæc est, (quid) semper prava est, quomodo & ubi peragatur. Unde provenit quod ad depositi restitutionem, fidei conservationem, patris venerationem, cultum dierum, professorum, alimentationem filii, non teneamur, nisi ubi necessitas exigat, & opportunitas, locus, cæteræq; circumstantiæ conspirent. Quare dicta Ciceronis secundo loco allata, non recte attingunt quæstionem motam.

*De Æquitate, uberioris expositionis justitiae  
propositi gratia.*

CAP. III.

**R** Eddeur clarior natura justitiae extraordinarii, de quo sermo hactenus fuit, si perpendetur modo legis transgressio, quæ fit nonnunquam cum laude, & tum æquitas vocatur, de qua Aristoteles 5. Ethicorum pertractat. D. Thomas sub græco nomine Epiechiæ 2. 2. ego libro secundo de justitiâ. Exoritur illa, quoniam lex non potest complecti casus omnes speciales, quod infiniti sint: ideoq; etiam generatim effatur, tum quod exoriantur identidem casus non perspecti a legislatore. Exempli gratia sit lex ordinata, ut qui ferro civem percutiat, mortis reus sit, eo sine ut homicidia & vulnerationes e civitate tollantur. Jam vero accidit, ut duo ferro decertantes, alter eorum percutiat alterum annulo ferreo, quem loco aurei in digito gestat, huic casui non provisum est a legislatore, qui si vita frueretur, adessetq; præsens, non majorem statueret pœnam in illum, quam qualem in decertantes. Ut ita in paribus casibus inobservantia legis, quæ per se actio est injusta, justa fiat: estq; justum extraordinarium, communiter enim justum habetur leges observare. Lex erat apud Thebanos, ut militum duces per-



peracto officii demandati tempore, exercitum traderent sub poena mortis: at Epaminondas & Pelopidas ad Lacedæmoniorum regiones missi cum essent ideo, ut res magnas agerent in commodum patriæ Thebarum, retinuerunt exercitum, & pro patria acquisiverunt plurima. Hæc transgressio æqua erat. Nam si præsens fuisset legislator, & quæsitus, quid arbitraretur in tali occasione esse agendum in commodum publicum maximum, iussisset idem, quod fecerunt: uti quoque cum ideo illis dies dicta esset, tandem absoluti sunt, sprete civium invidia, qui ob gloriam rerum gestarum insurrexerant in eos.

*Rejicitur opinio eorum, qui iustum habent  
illud omne, quod statui utile est.*

## CAP. IV.

**E**terum quoniam plurimi, vel quod ita crediderint, vel in favorem magnatum locuti sint, axioma confecerunt contrarium: scilicet quod omne, quod statui utile, iustum sit, qualecunque etiam ex se existat, non ab re erit transire ad illorum dicta examinanda, & at confutandam sententiam. Axiomata itaque in obsequium Principum tradita hujus generis sunt. *Omnia retinenda dominationis honesta esse.* (Salust. ex ore Lepidi.) Legimus apud Platonem (lib. I. de iusto.) Trasymachum dixisse, quod iustitia nihil aliud sit, quam *Utilitas potentioris.* Secundum hæc axiomata igitur, qualecunque etiam sit factum, dummodo utilitatem statui adferat, iustum est. Ad idem alludit illud Taciti: (lib. 14. annal.) *Magna exempla, quæ habent aliquid ex iniquo, quod adversus singulos utilitate publica rependitur.* Relictis iis pluribus, quæ dici possent, stabilio doctrinam primi capitis. Quando factum, hoc est illud, quod comprehensum est sub circumstantia (quid) iniustum est, actio reddi nequit iusta absolute, propter utile publicum. Dico iusta absolute, nam iusta secundum quid, quatenus comprehendit finem, ceterasque circumstantias iustas, verum est. Et conclusio probatur ex fundamento superius posito: quoniam fingitur, quod una ex circumstantiis præcipuis iniusta sit & prava, ut vero actio absolute bona sit, opus est ut omnes circumstantiæ sint bonæ. *Bonum est ex integra causa.* Idem confirmatur ex Aristotelis doctrina 7. politic. tradita: quod bonitas actionis consistat, ut finis




bonus sit, & operatio quæ ad finem illum dirigitur idonea sit ad eum consequendum, aut præstandum ut nanciscatur. Non igitur satis est, ut finis justus sit, nisi & medium tale sit, ad reddendam actionem bonam. At si sufficeret ad reddendam actionem justam & honestam, quod publicam afferret utilitatem, quam etiam foret alias injusta, sequeretur, quod actio non indigeat bonitate mediorum, ut bona existat, sed quod sit illi satis bonitas finis. Sed dicit quispiam, non esse eum verborum Aristotelis sensum, quem nos illi attribuimus, scilicet ut medium honestum sit, sed ut accommodatum sit, ad finem propositum consequendum. Hæc ejus sunt verba. *Duo sunt in quibus omnis commendatio bene agendi consistit: unum, ut propositum, ac finis agendi recte ponatur: aliud, ut eas, quæ ad illum finem ferant actiones inveniamus.* At in proposito nostro utilitas publica finis bonus est, & actio quæ ponitur, illam producit. Cui responso repono. Quod utilitas publica, quæ finis bonus est civitatis, publica est felicitas, conjunctam habet honestatem & utilitatem. Quare utilitas publica ita interpretanda est, quod & honesta sit: at media inhonesta ad obtinendum finem honestum non sunt accommodata: itaque ad actionem perficiendam honestam & justam, opus est, ut non solum medium sit accommodatum ad consequendum finem, quod ad materiam, sed & cum forma simul honestatis, Quæ confutatio robur nanciscitur ex rebus in mea morali traditis doctrina, quod alius finis complexus sit, alius incomplexus. V. G. defendere patriam finis est incomplexus fortis viri, dum è moenibus adversus oppugnatores præliatur: at complexus honestas est exoriens ex harmonia actionis istius cum circumstantiis omnibus, quomodo, quando, ubi, quibus instrumentis &c. debeat. Ex ejusmodi enim proportionem & harmoniam honestas provenit, qui splendor est actionis. Adhuc finem complexum, qui finis verus est a nobis intellectus, quæque est vera honestas, non medium est bonum ad eum consequendum factum pravum, & iniquum: tollit enim proportionem & harmoniam, ut dissonans vox mutuam discordem reddit. Sed roboremus hanc sententiam autoritate hominum in rep. versatorum. Bello Pyrrhi adversus Romanos perfuga adiit consulem Fabricium & Dictatorem Romanorum, promittens se veneno sublaturum Pyrrhum. At consul colligatum Pyrrho remisit: illiusque factum collaudatum fuit a Senatu. Qua de re Cicero, ut comprobationi subjungamus auctoritatem viri eruditi: *Atqui, inquit, si speciem utilitatis, opinionemque, querimus, magnum illud bellum perfugamur, & gravem adversarii imperii sustulisset sed magnum dedecus, & flagiti-*



*gitium, qui cum laudis certamen fuisset, cum non virtute, sed scelere superatum.*  
 At si utilitas reip. reddit nihil non honestum, quod eam producit, exstitisset honestum factum, haud scelestum e medio inimicum præpotentem tollere & dampnosum illi imperio, functusq; foret Fabricius officio mali civis, si quietus & sine sanguine & periculo reip. finem bello imponere potuisset, neq; voluisset. Ita reprehendendus foret Camillus Faliscis ludimagistrum cum liberis suis remittens, si ex utilitate reip. illa redderentur media honesta, secundum doctrinam quam modo oppugno.

Veneti fœdus declinarunt Imperatoris, quoniam aliud jam cum Galliarum inierant Rege, ab eoq; discedere non reputabant honestum. (Parut. hist. Ven.) Carolus Quintus per Gallias transiens, seq; fidei Francisci committens, si iussu regis fuisset detentus, consilium exstitisset suis rebus admodum utile. Sed quis non tantam detestatus fuisset perfidiam? Ideo etiam pius ille Rex omni affecit Carolum honore, & tutum per regnum universum deduci curavit. Ut ita sensus vulgaris & popularis sit certo naturæ instinctu insculptus, quod res plures utiles publico statui scelestæ sint & evitandæ. Sed excellentior magister & purior doctrina nos docet idem, qui est S. S. auctor, & spiritus S. prohibet principes a mendacio: cum tamen plurima publico utilia sint, quoniam quædam probat Plato lib. 1. de iusto.

*Non decent stultum verba composita, nec principem labrum mentiens.*  
 proverb. c. 17. Itaq; utilitas publica non honestat cunctas principis, vel reip. actiones. Et finis Antiochi, spectans ad concordiam subditorum, cum discrepantiam religionum inter illos sublata vellet, bonus erat: sed quoniam medium erat, tollendi verum cultum, qui tum erat apud Hebræos, actio ipsius fuit iniqua, velut illam S. S. nominat. (lib. 1. Mac. cap. 3.) Quando itaq; factum, & circumstantia (quid) per se prava sunt, nihil bonitatis acquirunt ex fine boni publici, & obrationem moralem, & ob sensum eorundem populorum, & ob auctoritatem S. S. ex qua deinde Canonistæ, & patres scholastici, & Summistæ eandem opinionem deduxerunt, & tradiderunt,



*Pars III.*







PARS TERTIA.

De *Justo Status apparente & personato,*  
*Introductio.*

CAP. I.



**V**enio ad justum Status apparens, & personatum. Quoniam itaque vera justitia fundata est super hæc quatuor capita, vid. finem, formam, distributionem & commutationem, necessum est, speciem justitiae oriri ex similitudine justitiae in iisdem capitibus, quod non verè justa sint. Ubi notanda est hæc differentia, quod, si imperium ratione omnium capitum solum apparenter est justum, planè erit justus status apparens: at si in una, aut pluribus partibus tantummodo hujusmodi erit, & in una, aut pluribus partibus justum verè, species erit remissa. Ceterum hic nova opus est distinctione. Enimvero injustitia esse potest, & ratione formalitatis, ut scholæ dicerent, nos dicimus ratione intentionis, & ratione rei ipsius, quod scholæ appellarent materialiter. Mentem meâ explico. Si princeps nullum alium habet finem, quam propriam utilitatem, & ad illam conformat formam imperii, & distributionem, & judicium, tandemque omnes suas actiones, erit formaliter, & quantum ad intentionem omnis actio iniqua: quantumvis esse potest, quod res plurimæ externè, aliasque justæ sint exercitæ. Exempli gr: Andronicus Imperator Græcus, qui nepotem Michaellem vita privavit & imperio, imperium instituit ad suam utilitatem: nihilominus in judiciis imperavit Judicibus æquitatem. Enimvero tale æquum juvat ad subditos tenendum quietos & obedientes. Est tamen credendum, si ullo modo ipsi profuisset contorsio judicii, quod fecisset. Jam quod ad materiam, & res ipsas attinet, fieri nequit, ut in imperio quodam, quam scelestum etiam sit, cuncta iniqua sint, secundum illud Aristotelis: *malum integrum non fert se ipsum.* (lib. 4. eth. cap. 5.) Verum quod ad intentionem, potest sanè princeps cuncta animo injusto agere, & hoc pacto, id quod committitur, erit

A a

*Justum*



## Lib. 1. Pars Tertia

*justum non iuste factum.* (Anst. & Eth. c. 8.) Quare, ut declaremus apparens justum status in hac prima significatione, opus est ut videamus, quis finis justus sit, & justus videri possit, sive quibus ille fucis talem se possit conspiciendum præbere, & sic in forma imperij, aliisque duabus partibus sive capitibus, v. d. distributiva, & commutativa Jurisdictione. Faciamus initium de fine.

### De fine apparenter, & non vere Justo.

#### CAP. II.

**V** itaque inveniamus finem legis, & imperii, qui cum justus non est, speciem tamen habet justii, repetendum est, quod inter fines, qui creduntur, & habentur justii ultimique imperii, stabilitas est, & utilitas status, cum sumitur pro forma imperii, sive multorum sit, sive paucorum, sive unius tantum. Quæ stabilitas formæ, quod in pravis Rebusp. non sit verus, & justus finis, supra ostensum est. (*Parte I. cap. 8.*) Imo, in ipsa optima Rep. non est ejusdem forma, (quamvis rectissima, ideoque conservande zelo maximo) verus, & ultimus finis: sed medium est ultimo fini conjunctum, & quo sejuncto ipse finis in periculum veniret. Hic apparens finis ille est, qui Regi à Machiavello propositus est, ut secundum illum regnum administret. Hoc est, ut sibi securitatem sui regni proponat pro fine ultimo, ad quem cuncta dirigat, facultates & subditorum personas, propriam conscientiam, animamque, religionem, & si potis esset, Deum ipsum. Species justitiæ in hoc fine provenit ex æquivoco, ob vicinitatem quæ inter utilitatem communem est, & utilitatem publicam: quæ facillè confunduntur, & pro re eadem capiuntur. Et ita, quemadmodum utilitas communis, verus & justus finis est, etiam putatur utilitas publica talis. Quare cum publicum propriè significet statum, ejusdemque formam, hinc est, quod credatur, & dicatur utilitatem status, suæque formæ, esse ultimum & justum finem. Quod publicum significet propriè magis statum, ejusdemque formam, & quæ exinde dependent, videre est ex *S. Hujus Studii, l. 1. ff. de Justitia & Jur.*  
Ubi



Ubi jus publicum illud appellat, quod pertinet ad statum reip. Romanum, ponitque in reb. sacris, templis, curiis similibusque, Sacerdotibus & Magistratibus. Quam definitionem & expositionem communiter Jurisconsulti secuti sunt, aliique scriptores. Eam ob rem igitur id quod communis est utilitatis, translatum facile est ad utilitatem status, hoc est illius, qui imperium in manu habet, hoc sensu. Hic est itaque finis in speciem justus: estque hæc prima causa similitudinis, videlicet æquivocatio, & vicinitas significationum, in quibus æquivocatio fundamentum posuit. Sed ejusdem similitudinis aliæ causæ concurrunt. Una & præcipua Majestas Principis est, & generatim summæ potestatis, sive illa sit penes unum, sive penes populum, sive penes paucos, de qua dictum est *lib. 1. part. 1. c. 35* quod opus est, ut à Principe, & principatu conservetur. Verum, ut quælibet virtus moralis in medio posita est, ita hæc, quæ publicam procurat æstimationem, inter duo extrema parum & nimium est. Et nimium quidem vitium est, quod fovet speciem justitiæ in fine injusto. In excessu peccabat procul dubio, cum divinos cuperet honores Caligula, quippe eo excedebat, ut vellet statuam suam locari & adorari in templo Hierosolymitano, (*de legat. ad Cai. in Paneg. Taj.*) qua de re pulcherrima exstat narratio Philonis. Et de Domitiano scribit Plinius: *At paulo ante aditus omnes, omnes gradus, totaq; area hinc auro, hinc argento relucebat, seupotius polluebatur, cum incesti Principis statuis permista Deorum simulacra sorderent.* Est quoq; excessus Majestatis, quando Princeps cupit, si non divinos sibi fieri honores, minimum ultra fastigium humanum honore se affici. Hic fastus est Magnorum Ducum Moschoviæ, referente Alexandro Guagnino, qui à subditis haberi volunt, quod cuncta sciant. Quare si quispiam Moschorum de singulari quodam interrogetur dubio, respondent, Deum & Magnum id scire Ducem. Imo, tanti suum æstimant principem, seque adeo habent viles, ut Nobiles, Magnates, Præfecti, Primoresq; & consiliarii omnes Chlopos se, id est, abjectissimos & vilissimos servos magni Ducis fateantur. Alexand. Guagn. in descr. Mosch. cap. 4. Ita quidem, ut nulla illis sit differentia inter subditorum obedientiam versus Principem, quæ est hominum liberorū in eum, qui illos gubernat, & illam, quam mancipia domino debent, quam sane servorum est versus eos, qui ipsos possident. Est quoque excessus Majestatis, quando Princeps res ecclesiasticas absolutè sibi vindicat. Id agunt



gunt modo Reges Angliæ, cum se capita constituent ecclesiæ. Idem faciebat Magnus Dux Moschoviæ Ioannes, de quo refertur, quod absolute, & sine contradictione ulla dominus erat cuiusvis sortis & conditionis hominum, tam secularium, quam ecclesiasticorum, mutaretque Metropolitam pro suo lubito. Excessus Majestatis adigit subditos ad reverentiam humana majorem, ideoque opinantur, quod paulo minus quam Deo teneantur res suas seque ipsos devovere.

### Quomodo Majestas inducatur.

#### CAP. III.

**C**onsideremus modo, quomodo Majestas summæ potestatis efficiatur, & quomodo etiam ad excessum perveniat, & per quas causas, modosque. Aliæ itaque causæ naturales sunt, aliæ violentæ, aliæ artificiosæ, aliæ virtuosæ. Causa naturalis incrementi majestatis est imperii antiquitas, de qua inquit Tacitus: lib. 14. *annal. vetustate imperii coalita audacia.* Hoc est, quando princeps imperium perpetuat, majorem concipit securitatem, per quam paulatim omnem in se derivat auctoritatem. Tacitus lib. 1. *annal. insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere.* Et Plinius in Panegirico, *olim imperantibus securitatem,* ait, ut ostendat securitatem, quæ continuo acquiritur dominio. Plato progressum hunc ingeniose satis nobis detexit, ostendens, quod civitas debeat esse attemperata, prudens, & sibi ipsi amica, & quod in principio Monarchiarum, exemplo Monarchiæ Persarum, talis illa sit. Enimvero in illa milites & subditi agebant cum Cyro quodam libertatis gradu, qui in Cambyse desit. Rediit vero ad pristinum imperium per Darium, desit sub Xerse, ceterisque regibus qui ordine invicem sequuti sunt, sub quibus populus pertractus est ad puram servitutem, quæ respondet excedenti majestati principis: quemadmodum libertas, quam populo cum Regibus suis intercessisse ab initio scribit, respondebat moderatæ & convenienti majestati Principis cum subditis. Macedones principio Alexandro Magno utebantur perfamiliariter, at postea volebat sibi divinos fieri honores, quod eum Macedones detrectarent, ad custodiam sui corporis Persas ipsis prætulit.



lit. Tantam mutationem pauci anni Imperii in illo Rege attulerunt. Hæc est itaque prima causa excessus Majestatis, videlicet *vetustas Imperii*, quæ, ut dixi, naturalis est, & solummodo per temperantiam boni Principis ad temperiem deducitur. Qua sanè in re insignem merentur Elensium Principes laudem, qui perducto per tot secula Imperio, Majestatem servant temperie admiranda comitatis auctoritatem haud imminuentis. Accefferunt ipsis tituli, sibi suisque rebus ab Imperatoribus concessi, ut *divina* dicatur *domus* cum antea longe vilioribus uterentur.

Altera causa violenta est, estque severitas principis: enimvero timore subditos stupidos efficiunt, quando hujusmodi Principibus omnis honos, qui potest, habetur, & in omnibus obsequuntur. Quare, (ut Plinius in Paneg. inquit, de Domitiano) eorum statuæ argenteæ in templis ponebantur, & super altaria inter statuas Deorum; & Trajani ex ære in vestibulo templi, ut enim idem loco citato scribit, de nimiis novisq; principes colendi modis: *ingeniosior est simulatio veritate, servitus libertate, metus amore.* Tyrannis, quod ad honores externos, plus tribuitur a subditis, quam bonis principibus; ex adverso, reverentia, & observantia interna hi longè plus illis amantur, & externè veris & perpetuis evehuntur laudibus. Illos, (de pravis principibus idem scriptor ait) *humeri, cervicesq; servorum super ora nostra: Te,* (loquitur de Trajano) *fama, Te gloria, Te civium pietas, Te libertas super ipsos principes vehunt.* Et planè ita se res habet. Trajanus hodiè gloriolus vivit: Caligulæ, Neronis, Domitiani iacent sepulti in ignominiarum, & execrationum tenebris, propter eorū severitatem & sævitiam. Magni Duces Moschoviæ a suis magno honore afficiuntur.

Tertia causâ artificium est, quod plura habet capita. Raro sui videnti copiam facere, aut nunquam ut Sinensium Reges: nam *majestati major ex longinquo reverentia.* Tacitus lib. 1. annal. Prodire in publicum magno semper comitatu, & aulicorum numero stipatum, & habitu ultra communem usum vestitum. In his est Magnus Turcarum Imperator, ut fertur, splendidissimus. At major, & splendidior, mea opinione, fuit Cyri pompa, qua in publicum prodiit, descripta à Xenophonte in vita ejusdem lib. 8. eamque habet pro insigni artificio politico dicens: *Iam vtro narrabimus, quo pacto Cyrus primum e regia proventus sit. Nam ipsa Majestas hujus provectionis una nobis videtur ex his esse artibus, quæ perfecturunt*



cerunt, ut imperium ipsius facile contemni non posset. Ita Xenophon, qui non est alienus ab hac sententia, quod ille splendor, cum aula exiret, subditos commoverit ad ipsius adorationem, cum antehac non consuevissent ita eum venerari. Eum, inquit, ubi conspexissent, omnes adorando summissè venerati sunt: sive quia fuisset imperatum, ut aliqui hujus venerationis initium facerent, seu quod apparatus eos stupore quodam affecisset, seu quod procerus & pulcher Cyrus ipse visus esset. Artificium quoque est fingere le Diis familiarem. Numa auctoritatem acquisivit, quod simularet commercium cum Dea Egeria: Liv. lib. 1. Scipio Africanus cum Jove Capitolino: sceleratus Machometes cum Angelo Gabriele: regens hoc simul invento morbum suum Epilepticum.

Quarta causa virtus est, quæ cum excellens est, opinionem virtuosi secum fert, & semper magnam æstimationem. Antonius in funebri illa in exitu Cæsaris a se habita oratione, imo in exitu Romanæ libertatis, (hæc enim fax fuit, quæ incendium ultimi civilis belli accendit, quod illam ad Monarchiam transtulit) omnes intendit nervos, ut palam faceret, Cæsaris virtutem humanam excessisse, quo illi apud Romanum populum conciliaret illam majestatis opinionem, qua propter sacrilegos putarent, & scelestos ipsius occisores, quos initio putassent suæ libertatis auctores. Dion. Cass. lib. 44. histor. Sane effectus fuit Majestatis ex virtute, factisque insignibus Cæsaris prognatæ, uno verbo milites veteranos tumultuantes sedare. Quæ de re Tacitus ex ore Germanici inquit: *Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum ejus detrectabant.* Annal. lib. 1. Et Augustus eandem ob Majestatem aspectu solo legiones Atticas comprescit. Idem Tacitus. *D. Augustus vultu, & aspectu, Atticas legiones exterruit.* Majestas virtutis fuit illa Gothofredi Bullonii, quæ splendida apparuit legatis Ægyptiorum, quippe quem invenissent sedentem in sacco herbis referto. Hæc majestas ex vera virtute laudem meretur, nec excessum patitur, nam ipsa virtus in medio est sita inter extrema vitiosa magis & minus. Et cum virtute ego hic conjungo actiones virtuosas, cujus generis sunt beneficia singularia civitati in bello & pace præstita. Monendum tamen est, quod interdum virtus non vera est, sed apparens; ut sanctimonia ficta Machometis & postea Serifi, quibus simulationibus aditum sibi ad imperium patefecerunt. Addo iis, quæ dicta



Et sunt, quod excessus majestatis Principis, aut summæ potestatis, tantus sit nonnunquam in animis populorum, ut parum absit, quin eos habeant Deos. Ismael suo tempore habitus est Deus, quodque ipsi non esset moriendum, licet ille hanc de re opinionem non foveret, tamen à suis talis creditus est, & præsertim à suis militibus; sed hæc de ipso nata est opinio ex magnitudine rerum gestarum. Verum communiter potestas principum, qua subditos deprimunt, eosdemque vita spoliant, alios vero opulentos faciunt, & ad excelsos dignitatum gradus evehunt, causa est, quod vulgus, qui res mundanas hujusque vitæ respiciunt, aut præcipue intuentur, seque in rerum præsentium cupiditates immergunt, putat, potentiam auferendi, dandique hæc bona, summam esse potestatem, ideoque divinæ parem. Plinius in Panegyrico, ubi disserit de potestate Romani Imperatoris, inquit, potentia Deorum immortalium esse æquatam. *Principem, quem æquata Diis potestas deceret.* Ei alludebat ad hanc sententiam famosum illud distichon,

*Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane  
Divisum imperium cum Iove Cæsar habet.*

Cum quibus ineptiis quæ stultitia comparanda est? Homo, qui exigua febre è medio sublatus est, ut Mediolanensium Dux Galeacius in summo culmine successuum suorum: aut ab horridis vermiculis devoratus, ut Philippus II. Hispaniarum Rex: qui sane minimi effectus sunt divinæ potentia, ut taceam, quod etiam terræmotibus fulminibus & diluviis obnoxius sit. Sed quid? insidiis etiam patet & telis vilissimorum hominum, ut Henricus Quartus, scelesto consilio Franc. Ravallaci. Et potentiam tam impotentis animalculi æquare Deo?

*O miseras hominum mentes, o pectora cæca.*

Sed ut revertar, unde digressus sum, exposui, quæ sit species fucata justitiæ in fine non justo, & quænam causæ sint fucorum in ejusmodi fucata specie: progredior ad speciem justitiæ fucatam in forma Reipublicæ.

CAP.



De Specie *Fustitiæ fucata in acquisitione*  
*Tyrannidis.*

## CAP. IV.

**F**ormæ Rerump. pravæ, quales, & quot sint simplices, jam dictum est: & exinde etiam conjectura capi potest, quales sint mixtæ. Jam ut ut sint pravæ, speciem bonarum induere possunt. Id considerabimus in singulis, initio à tyrannide facto: quoniam hodiè major pars hujus universi paret Monarchiis. Jam distincta est Tyrannis, quod alia sit titulo injusto, veluti usurpatores dominationis patriæ liberæ: quales fuerunt Cæsar, & postea Octavianus, qui absolutè Imperium Romanum occupavit: alia titulo justo, sed administrationis tyrannicæ, qui status Principatus ad differentiam appellari potest despoticus: itaque fuci tyrannidum, alii spectabunt ad tegendam & colorandam injustitiam tituli: alii ad adumbrandam injustitiam administrationis.

Quod itaque ad fucos tituli injusti, quamplures illi sunt. Primus fucus axioma illud est, quod intendebat Callides Socrati persuadere apud Platonem in Gorgia: estque quod justum sit, viribus potentior dominari in minus potentibus. Idque dicit esse justum natura: cui justo repugnat legale, quoniam lex naturæ contraria est, cum leges conditæ sint in subsidium minus potentium: ut etiam Legislatores plerumque ex iis sunt. Hæc summa isthic loci est doctrinæ Callidis, quæ si persuasa fuerit, omni eximit culpa, qui armis alios vincens, vel factione, patriæ se constituit Dominum. Ad confirmationem seq. axiomatis alludit dictum hoc: *Non cessabit nobis gladio accinctis leges predicare?* Plutarch, in Pomp. hoc est, ubi potentia prævalet, leges cessare debent. Quod axioma sine dubio turpe est, aptumque ad destruendam universam felicitatem civilem. Secundum axioma pro Principatu est: *Si violandum est jus, violandum est regni causa.* Quod Euripidis dictum, Cæsar, ut Cicero refert, Lib. 3. de offic. sæpius in ore gerebat, & in usum deducebat: estque sensus axiomatis, quod licitum sit ad obtinendum Regnum, illudque conservandum, a Jure & lege recedere: alias vero ob causas & utilitates minimè. Thrasymachus apud Plato-



Platonem (lib. 1. de justo) dicit, quod summa injustitia, quæ Tyrannis est, res honesta est, optima, & felicissima. Sed hujus generis fuci, exquilitam detegunt impietatem in illo, qui iis utitur, mererenturq; potius castigacionem, quam confutationem: eruntq; ponendi in numero earum propositionum, quæ pœnam polcere Aristoteli dicuntur lib. 1. Top. c. 9. *Nam qui dubitant utrum oporteat Deos colere, & parentes diligere, annon pœna indigent?* Adeo scelestæ opinio pejor est prava operatione. Qui adulterium committit propter carnis fragilitatem, intemperans est: at qui illud committit, actionem reputans bonam, hæreticus est. Cæsar itaque, etiamsi senarium Euripidis in ore habebat, non tamen eo usus est, ut Romæ occupationem coloraret: sed ab initio Ravennæ arma adversum illam sumpta excusavit prætextu vindicandi injurias suas, & Tribunorum plebis. Et hæc summa fuit orationis habita ad milites, ad quâ milites responderunt: *se se paratos esse, Imperatoris sui, Tribunorumq; plebis injurias defendere.* (Comment. de bello civili lib. 1.) Continuavit postea imperium, posteaquam in vaserat prætextu persequendi inimicos a Senatu, Populoque Romano jam pronunciatos, & prætextu perpetuæ Dictaturæ, & Tribunitiæ potestatis, quæ ipsi perpetuum a Populo Romano erant concessa. Ipse Catilina voluit eodem prætextu suam colorare conjurationem, & armorum in Romam illationem, ac si pugnaret pro patria, oppressa potentia paucorum, adversum oppressores. *Nos, inquit, pro Patria, pro libertate, pro vita certamus. Illis supervacuum est pugnare pro potentia paucorum.* Sall. in Or. Cat. Augustus pariter arma principio sumpsit prætextu militandi pro Rep. adversus Antonium: postea arma vertebat in Remp., quasi adversum Pompejanos militaturus, mortemq; Cæsar Parentis sui per adoptionem vindicaturus: porro adversus Antonium & Lepidum, variis datis coloribus. Ceterum quod amici pervulgabant, & majorem honesti speciem habebat, & fortassis quoddam veritatis fundamentum præbet. *Non aliud discordantis Patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur.* (Tacit. annal. lib. 1.) Quem fucum Cælaris Dio defendit: (lib. 44.) sed forte obsequio illius Principatus abreptus, sub quo tum temporis regebatur Resp. Nihilominus Augustus magis recta utebatur Politica, ad servandum sibi imperium: enim vero, confirmatus fuit in summa potestate à Senatu de decennio in quinquennium, & aliud iterum decennium, tandemque cum ad



Senatum verba faceret, & verbis Imperium deponeret, re ipsa fecit Imperium absolutum sibi dari, ut fusè refert Dio (lib. 53.) his finiens verbis: *hac arte Caesar, cum se velle Imperium deponere simulasset, effecit, ut ei a Senatu populoq; confirmaretur.* Colligo ex novissimè dictis rebus bina tegumenta, magis colorata præcedentibus, ad invadendam libertatem. Unum est, in eum agere modum, ut eadem occupata civitas publica electione invadentem Principem confirmet. Quod facile est obtinere, quoniam Tyrannus eam armis possidet, & re ipsa: quare, si quisquis ille sit Tyranno fidelis, in publicis conciliis proponet hoc, omnes certatim amplectentur, comprobabuntque propositum. Cavebit quisque, ne sit ultimus in eo laudando, ne dicam in comprobando suo suffragio. Tiberius simulabat se nolle absolutum Imperium Romanum, postquam tamen primum armis & vi in possessionem venisset: at Senatores interpretabantur, id esse dictum, ut ipsorum mens exploraretur, quare loco renunciationem acceptandi, submissè rogarunt, ut Imperium susciperet. *At Patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrymas, vota effudit: ad Deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere.* Tacit. lib. I. annal.

Alterum Axioma est, curare, ut in publicis, & privatis sermonibus disseminetur, quod forma reip. præcedentis dissoluta sit, nec ulterius subsistere possit, salva salute publica. In quam rem semper quidpiam dicendum venit, exponendo suas imperfectiones, labes, quibus expers esse nequit, plane quodcunque etiam sit imperium, licet unum magis minusve altero: & cum primis quando Resp. ad mutationem tendit, initio transit in singularem quandam molliem, quare occasionem reprehendendi dat, cui libitum fuerit. Talis erat Romana, cum ad Monarchiam tenderet: cuius ideò defectus Mæcenas attulit, per eosque Augusto disvasit ne Romam pristina restitueret libertati, in deliberatione quam de hac re ipse Augustus habuit cum Agrippa & Mæcenate: quam Dio refert lib. 52. Historiar.

Alia simulatio est, si à Principe supremo dominium obtineatur. Ludovicus Morus in se transferebat à filiis fratris Ducatum Mediolanensem, sumpta investitura à Maximiliano Imperatore, quoniam Franciscus pater, & Joann. Galeacius frater absque investitura illum possederant. Cui rei admodum vicina sunt vindiciæ legitimæ successionis ex sententia D. D. qui



qui ita consultant. Jam quoniam doctrinæ Juris probabiles sunt, quælibet pars pro vario in se affectu suos habet fautores: ut contigit in successione Regni Portugalliæ, de qua à Doctoribus variis, diversisque Collegiis diversimodè responsum fuit. Enimvero Collegium Patavinum respondit in gratiam Ranutii Farnesii Principis Parmensis. Collegium Conimbricense pro Ducissa Brigantina. In favorem Philippi plurimi Doctores Portugalliæ, præter alios Regi subditos: tandemque quilibet contendentium, qui sex erant, Rex Philippus, Antonius Magnus Prior Portugalliæ, Regina Galliæ, Ducissa Brigantina, Dux Subaudiæ, Princeps Parmensis, pro se sententiam nactus est. Unde apparet, si Juri committeretur de Regnis decidere, quod cuius vindici datus erit fucus adumbrandi suas vindicias ut justas. Quare ego in re præsentis opinionem amplector eorum, qui pro Philippo pronunciarunt, ponentes pro ipsorum fundamento, quod successiones Regnorum, Regumque, non sint ordinandæ ex jure civili, quod plenum est argutiis & simulationibus: quodque temere nonnulli Doctores voluerint submittere successiones Regnorum civilibus præceptis. Et certè, non perpenderunt isti Juri, quod hoc pacto voluerint se efferre, quod occupati sint in parte prudentiæ judiciariæ, quæ ad justitiam commutativam pertinet, quæ non se extendit ad formam Reip., quæ aut solum est prudentiæ Architectonicæ & legum ferendarum: nam non mutatur forma Reip., absque quod minimum pars legum publicarum, à legum Doctoribus ita dictarum, immutetur: aut si tamen pertinet ad prudentiam particularem, ad consultativam pertinet: enimvero in Senatu agebatur, & in Comitibus de mutandis magistratibus vel concedenda majore auctoritate, vel ead. illis detrahenda, & non in cathedris & judiciis. Ita decreta sunt introductio Tribunorum plebis, creatio Censuræ, & Decemvirum, per leges in modum consultationis in Senatu, in Comitibus popularibus, & non in tribunalibus Judicum. Itaque consideratio illa de successione Regnorum, cum dependet à vera cognitione formæ regiminis, superat caput Doctorum legum: cum pars judicialis minima sit omnium partium prudentiæ civilis, quæ ab Aristotele (lib. 6. Eth. cap. 8.) divisa est in Architectonicam, quæ est prudentia legum ferendarum, & particularem, quarum prima pars est consultativa, secunda & ultima judicialis: itaque hæc per se non est apta ad agendum de rebus longe se ipsa gravioribus. Et



veniēdo ad rationem scientiarum, (nam usus sum hic nomine scientiæ remissè) formæ rerump. & tractatio cognitioque illarum Politicæ est, non Jurisprudentiæ: at successio regnorum, plane pertinet ad formam Reip. nam pro Regno, aut jam subjectum electum est, aut familia & agnatio electa est, aut electa est sanguinis conjunctio. Videtur quod Aristoteles priores binos solum agnoscat modos, dicens: *quando igitur, aut totum genus, aut inter alios unum aliquem, ita virtute præcellere contingat, ut unus ipsius virtus, major sit aliorum omnium virtute, tunc justum est hoc esse regium genus, & omnium dominum, & hunc unum esse Regem.* Agnoscit ille itaque Regnum certi homini datum, & illud familiæ datum, si familia producat subjecta adeo præstantia, ut alibi quoque dicit, (lib. eod. cap. 10.) Sed de Regno, quatenus restringitur ad summam auctoritatem in bello, & quandoq; per genus, quandoq; per electionem hujusmodi genus obtinetur. Sanguinis conjunctio ex principiis Aristotelis non videtur æquam causam habere, quod debeat eligi: nam ex ipsius sententia, fæmina non nisi passivè ad generationem concurrat, quare ad indolem, dotesque naturales filiorum non tantum conferunt matres, ut propagari possit, & continuari in illis ab alia familia genitis dignitas & præstantia familiæ regiæ. Quæ causa est, quod in Gallia fæminæ non succedant. Usus tamen invaluit apud Hispanos, & Anglos; ut videre est in Isabella Castellana, & postea Joanna Castellæ & Arragoniæ regina totq; aliis agnatis; & in Maria Anglicana filia Henrici Octavi, aliisque multis. Potest tamen contigisse, ut in prima Regis constitutione, electio in certam ceciderit personam; at ratio potentiæ hæredis defuncti Regis eum fecerit successorem non solum hæreditatis relicte, sed quoque Regni: quamvis hæ successiones admodum diversæ sint, ut recte Marc. Antonius respondit Octaviano in colloquio ipsorum in hortis Pompejanis, quod refert Appianus Alexandrinus lib. 3. de bello civili. At non facile intra terminos honesti retinetur, qui potentiam in manu habet, facitque illud, quod de Atheniensibus dicit Aristoteles: (lib. 3. polit. cap. 9.) *quamprimum enim imperium firmiter habuerunt, eos contriverunt, contra fæderis æquitatem.* Ita accidit in successione, ut ego puto, Augusti: enimvero quantum colligitur ex scriptis Dionis lib. 3., Imperium soli Augusto fuit datum, non suæ oboli; imo ipse Augustus agnovit hoc, falsusq; est cum sua persona exspirasse



rasse Imperium, & desiisse Monarchiam sibi commissam, cum, secundum  
 Dionem, lib. 56. quarto librorum de regimine publico relictorum, & a  
 Drufo in Senatu recitatorum, hæc verba reliquerit scripta: *ut Remp. omnib.  
 qui prudentia, ac rerum gerendarum peritia essent præditi, committerent, neq;  
 uni alicui eam totam crederent, ne vel Tyrannidem is affectaret, vel eo adversa  
 passo Resp. corrueret.* Quare Tiberius adscitis armis & militibus, ex qui-  
 bus Prætorianis, ut inquit Tacitus, lib. 1. annal. *signum ut Imperator dederat,*  
*ad cæteros, litteras ad exercitus, tanquam adeptò Principatu misit.* In Sena-  
 tu postea simulanter se gerebat, non ut Princeps, sed ut Tribunus, aut Sen-  
 ator. Idem Tacitus d. libro: *nam Tiberius cuncta per Consules incipie-  
 bat, tanquam veteri Republ. & ambiguus imperandi. Ne edictum quidem,  
 quo Patres in curiam vocabat, nisi Tribunitiæ potestatis præscriptione posuit sub  
 Augusto acceptæ.* Sicque semper in Senatu verba faciebat, tanquam incertus  
 imperii. *Nusquam cunctabundus, nisi cum in Senatu loqueretur.* Tandem-  
 que rogavit Senatum, *ut in civitate tot illustrib. viris submixta, non ad unum  
 omnia deferrent: plures facilius munia Reip. sociatis laboribus executuros.*  
 Quæ verba conservabant memoriam Augusti, at cuncta simulanter:  
 nam per artes ambitiosæ matris, *simul excessisse Augustum, & rerum potiri  
 Neronem fama eadem tulit.* Digressus sum ab argumento proposito,  
 ut ostenderem, successione formæ Reip. esse copulatam: quoniam Re-  
 gnum ipsum variarum est specierum, neq; quod eam ob rem de successione  
 principatum, Regnorumque tractare possit illa facultas, quæ per se ipsa i-  
 gnorat formas & species rerump. earumque fundamenta: cognitio non  
 complexa à Jurisprudencia. Jam ut concludam, prætexta iniqua occupatio-  
 nis dominatum, ut fiant velamina honestatis, sunt illa septem. Primum  
 & secundum satis turpe est: quod justum sit, potentiores in minus poten-  
 tibus dominari, idque natura justum esse: secundum, quod justum sit  
 quascunque violare leges, ut principatus obtineatur: in privatis rebus le-  
 ges esse observandas. Cætera tecta magis prætexta sunt. Tertium, vid.  
 cum arma capiuntur adversus cives inimicos, non adversus civitatem, &  
 quidem contra illos, tanquam transgressores rationum civitatis: qualis  
 fuit Cæsaris vindicandi injurias sibi tribunisque plebis illatas. Quartum,  
 interea dum dominatus retinetur, efficere, ut ab ipsa rep. princeps eligatur,  
 habendo arma in manu. Quintum, vel ipse monstrare, vel rumoribus spar-  
 sis,



sis, quod Resp. licentiosa diu consistere non possit, neque rectè regi. Sextum, ex concessione Principis, quod minimum titulo traditionis à superiore, si non ratione domini, auctoritatem habeat imperandi. Septimum, ex consultatione Doctorum acquirere sibi opinionem rationis, & juris dominandi.

*De furo administrationis Tyrannicæ,  
ut fiat in speciem iusta.*

CAP. V.



**A**dministratio Tyrannidis, & Tyrannorum satis apertè divisà est ab Aristotele in duas species: una est simulatum regium imperium, hoc est, Tyrannus imitatur adeo verum Regem, ut extrinsecus ab eo in nulla re alia differat, quam quod custodiam aliat fortem militum stipendiariorum, ita ut vim omnem perumpere possit, quæ ipsi inferretur a civibus tumultuantibus. Alter modus sævus est, & violentus, tandemque imperium apertè tyrannicum. Unum, alterumque modum egregiè, secundum morem suum, describit Aristoteles. Primum his verbis: *Ita Tyrannidis conservatio est, ad Regiam gubernationem eam magis referre, unum solummodo custodientem, ut potentiam retineat, per quam non modo volentibus, verum etiam nolentibus dominari possit: nam si hanc abiciat, simul abicit & tyrannum esse. Sed hoc tanquam suppositionem quandam manere oportet: cetera vero partim facere, partim quam optime simulare, ut Regia gubernatio appareat: primum enim videri communium commodorum curam habere.* Hoc Aristotelis monitum exactè Augustus executus est: enimverò habuit ille milites prætorianos Romæ, & cohortes urbanas pro custodia corporis. Ceterum postea supremam imperii sui potestatem exercuit insigni moderatione, & regali justitia, non violentia tyrannica: dedit merentibus dignitates; virtuosos coluit, & præmiis affectit; amicis familiarem præbuit aditum; eorum admonitiones sincere audivit, & in effectum traduxit: veluti illam Mæcenatis, quando severe nimis die quodam iudicium exerceret, reos quosdam capitis



ipitis condemnando, Mæcenas procul stans, quod propius accedere non daretur, impeditus a multitudine, schedulam in illum coniecit, quæ continebat, surge carnifex: qua lecta ab Augusto, cumque ipsi visum fuisset nimis excessisse in damnando reos, surrexit, iudiciumque sustulit, & damnatorum supplicium suspendit. Sed ut contraham dissertationem: administratio Tyranni, quæ fit imitatione Regii regiminis, non opus habet alio velamine, si recte imitata fuerit, hoc est factum, ut est apud Aristotelem, *quam optime simulare.* Quod ad stipendio conductos milites, quos secum habet: dummodo milites à civibus segregati sint, nec damnum dent, aut licentia nimia utantur, intra aut extra civitatem: neque populus hanc custodiam iniquo feret animo: & ulterius illi prætextus potest esse, aut splendoris regii, præsertim cum in publicum solemniter procedit, in modum Imperatoris Turcarum, quem sui Equites & milites comitantur: aut illi potest esse prætextus Principis cujusdam vicini potentioris, quæ de causa, ob securitatem sui status armatas velit cohortes: quodque non utatur propriis ad ministerium hoc civibus, vel agricolis, id se facere, vitæ ipsorum quietæ gratia & commodæ, ut rectius sua curare negotia, simulque commodè se oblectare possint. Prætextum huic similem Mæcenas profert in concilio, quod Augusto dedit, de servando sibi imperio. Verba ipsius fuerunt. *Itaq; hæc est mea sententia, ut robustissimi omnes, quiq; sibi alendi quam minime sufficiunt, in exercitum conscribantur, ac in armis exerceantur, reliquæ omnes ab armis, & re bellica vacent. Nam & illi soli militiæ dediti rectius eam facient, & hi facilius agriculturam, navigationes, reliquasq; paci actiones exercebunt, cum neq; ad arma concurrere opus habeant, & aliorum defendendorum causa excubant.* Dion. lib. 52. histor. Sub similibus prætextis Princeps armatas alere potest cohortes suæ tutelæ gratia, nec ideo monstret se diffidere populo, dum bene regem simulare, nec Tyrannum se prodere vult.

At administratio aperte tyrannica potestne illa justitiæ velis obtendi? Ut quæsito respondeamus, opus est principio describere quasi compendio actiones tyrannici imperii. Tres itaque scopi sunt, inquit cum admiratione Aristoteles, (lib. 5. pol. cap. 11) Tyranni: videl. *efficere, ut cives animo sint abjecto: studere ut sibi mutuo diffidant: enervare subditos, hoc est inopes facere, & deprimere.* Ex primo scopo provenit, occidere, vel in exili-

um



um mittere homines magnæ scientiæ, & excellentis virtutis, quos etiam persequitur, ut idem dicit Aristoteles, ut adversos suæ potestati, non solum quia ferre non possunt herile imperium, verum etiam quia fidi sunt & sibi ipsis & aliis: nec ipsi non accusant alios, nec ipsi accusantur. Ita ut homines virtuosi & p. obi non solum odio sint Tyrannis & propter primum, & secundum scopum, verum etiam propter tertium; enimvero virtus, & plurima scientia stimulos addit offendendi tyrannum, velut Dion exiguo militum numero fugavit sua virtute Dionysium. Obeundem scopum primum non permittit Tyrannus scholastica exercitia, nec institutiones ad virtutem, minus adhuc armorum exercitium, & præcipue ut aliis præsent. Ob secundum scopum, non permittit conventus civicos, nec Academias, nec tribus, nec aliud quidpiam, ex quo familiaritas inter ipsos nasci posset, & intima notitia. Nam notitia animorum & rerum mente reconditarum, efficit ut mutuo sibi fidant. Ejusdem scopi, vid. tollere mutuam fidem inter cives, pars est, curare ut sui apparitores ubiq; præsto sint, & advertant ad ea, quæ aguntur, dicuntur, tum quoque ex altera parte ubique exploratores clandestinos habere positos: ut faciebat Hiero senior Syracusis, qui jubebat illos illuc potissimum ire, ubi congregatio quædam esset, & hominum turba. Ejusdem scopi effectus est, discordias ferere inter cives particulares, tum quoque inter ordines civitatis, h. e. inter plebem, & nobiles. Ita mulieribus multum permittere & servis ad idem juvat, sunt enim totid. Tyranni exploratores. Et conjuratio in Nerone detecta fuit a Melicho servo, ut refert Tacitus. lib. 15. Annal. Ex tertio scopo fuit, populum tributis onerare, ut inopes fiant, & operibus vilibus perpetuo impeditum tenere: ut Ægyptiorum Reges in exstruendis pyramidib. & Tarquinius in agenda sub terram cloaca plebem Romanam. (Liv. lib. 1.) Enimvero & animi vilitate operis & assiduo labore deprimuntur, & civibus perpetuis distentis occupationibus, non suppetit tempus conspirationes in principem conflandi. Eandem ob causam Hebræi a deo deprimebantur ab Ægyptiis: & cum Moses Pharaonem flagitabat, ut eos sineret ire sacrificatum Deo suo, Rex hanc rogationem animi otio abundantis affectum reputans, idque ut tolleret, jussit ut quotidiana opera augetur. *Vacant, inquit, & idcirco vociferantur, dicentes eamus, & sacrificemus Deo nostro, opprimantur operibus, & explent ea.* (Exod. cap. 5.)

Con-



Concludo, quod abjectio animi, quam Tyrannus inducere vult, idem est ac servilis timor, qui imprimatur gravitate pœnarum paratarum & promptarum, ac sine remissione: quapropter manifesti Tyranni omnes in puniendo severissimi sunt, imo crudelissimi. Phalaris sit exemplo, & Busiris ex antiquis. Ezelinus, Albericus temporibus nostræ ætati vicinioribus, plurimique alii, quos prætereo. Jam dubium nullum est, quin, si animum internum & perversum Tyranni daretur inspicere, nullum futurum velum sit, quod actionibus suis possit prætere, at cum nude ipsius spectentur actiones, quarum finis longè a vero diversus apparere potest, perpendamus prætexta, quæ proferri possunt, & identidem a pravis principibus prolata sunt.

Quod itaque spectat ad id, quod nolit scholas scientiarum, prætexta esse possunt plurima: vid. quod studia litteraria animos frangant, reddantq; homines minus audaces: quod Gothus ille Athenis dixit, cum ipsius commilitones libros cremare vellent, quos ibi repererant asservatos.

Relinquamus, inquit, Græcis suas ineptias, unde ipsi fiunt desidiofi & stolidi. Aliud prætextum esse potest, quod studia nimia efficiant homines minus ad civiles actiones aptos: quæ opinio in aula quadam hodie viget, comprobaturque a Juvenali Sat. II.

— — — — — *Illum ego iure*  
*Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas*  
*Omnibus in Lybia sit montibus: hic tamen idem*  
*Ignoret, quantum ferrata distet ab area*  
*Sacculus.*

Et in actis Apostolorum Festus Paulo dixit: *Multa littera ad insaniam te convertunt*: hoc est, qui scit res, quæ in contemplatione consistunt, ignorat quæ ad vitam humanam & civilem pertinent. Ex adverso studia legum cum primis à nonnullis habentur, quod damnosa sint ob litium longitudinem, quæ sæpenumero ex nimia legum subtilitate provenit. Aliud prætextum esse potest, quod nimia sapientia efficiat homines superbos, ideoque non adeo faciles ad obediendum principi, secundum illud, *scientia inflat*, ut promiscue dicitur, & ab ipso D. Paulo. I. Corinth. 8. dictum est. Et in eam rem facetus ille Poeta dicebat: (Caporale)

— — — — — *voï, chauete*  
*Quatro letre assaocate con pece,*  
*Co*

*forse*



*Forse servendo in corte non vorrete,  
Gir in Cucina a guisa di scudiero,  
Et in tavola portarvi sdegnarete.*

--- -- -- tu qui  
*Quatuor literas affixisti pice,  
forte si in aula viveres, nolles  
Ire in culinam ut armiger,  
Et in mensam ferre dapes dedignarevis.*

Aliud prætextum erit, si Princeps jubeat studia tolli liberalia, quod scientiarum subtilitas causa sit Atheismi, ut in Averroë videre est, qui nullam Religionem veram putabat, Doctores earum appellans *legum loquentes*: nonnunquam hæresiarum, veluti fama est, quod Arrii hæresis ex doctrina Platonis profluxerit. Non opus est ut falsitas prætextorum denuo probetur, satis est dixisse, prætexta esse.

Quod spectat ad illud, ut homines magnæ æstimationis tollantur, aut deprimantur, aut propter eorum virtutes, aut potentiam, prætextus illis est, propter potentes præsertim, ut impedimenta tollant justitiæ promptæ: quæ sæpius impeditur nimia potentia præcipuorum subditorum, ut creditores non audeant, & sæpius quoque judices, & quibus commissa executio in illos quidquam moliri; præter plurimas violentias, quas clandestine inferunt hominibus per nimiam licentiam, aut iracundiam, aut per libidinem foeminis. Hoc velamine utebatur Princeps quidam hoc seculo in deprimendis præcipuis sui status viris. Ezelinus cum vita privaret ejusdem fortis homines, amplitudine sua, aut virtutibus eminentes, dicebat se purgare Patavium zizania, qui prætextus factus erat contrarius. In speciem magis erat velamen, quando accusator subornabatur falsus in viros virtute præstantes: quomodo Nero Thraseum & Soranum opprescit, qui Senatores admodum præcipui, summæque integritatis & virtutis maximæ habebantur. Prohibitionis coetium, & conventiculorum prætextus esse potest, quod leges etiam civiles ea prohibuerunt. Aliud prætextum est, quod fiat ob vitam quietam, & securam hominum proborum, cum ita impediatur, ne multi uniti latrocinia moliri possint, & homicidia, similiaque delicta. Quando in civitatibus factiones existunt, & studia partium, ut olim in Italia Guelforum & Ghibellinorum æqua erat prohibitio conventicu-



eticulorum: ne partes insurgerent, neve propter partium studium offensiones fierent, aut ultiones: quam ob rem etiam statuto, quod eo tempore factum est, cum nostra civitas libera dominatione utebatur, ejusmodi conventicula prohibita sunt. Quod ad exploratores, erit prætextus privatam securitatem præstare, eoque medio cognoscere, si quis quid contra alterum molitur, & an nocturni fierent coetus homicidarum & latronum. Cardinalis Benedictus Iustinianus Legatus Bononiensis hoc medio detexit auctores delictorum, quæ innumerè committebantur in ista populosa civitate, quapropter non solum non securi erant in viis publicis, sed neque etiam in domibus suis plane homines quieti & opulenti: neque inde discessit, antequam ubique & quovis tempore liceret tuto incedere.

Satellites tenere commune est cum bonis Rebusp. cum solum dederant, an delicta perpetrentur. Est illi rei tamen justus prætextus, scilicet zelus justitiæ, imò innocentæ, enimvero referre potest remedium præservativum, ne scilicet ob eorum præsentiam quisquam peccet. Discordiarum sationi prætextus nullus est, quam quod prævideatur esse Principis cuniculos, sine quibus artificium manifestum fit, detectumque haud juvat principem, sed nocet opinioni, quam populus de eo concepit.

Gravare tributis & oneribus populum, necessitas est, si Princeps prætendat sumptibus necessariis ipsi opus esse, & nummis se carere: est enim necessum publicam inopiam supplere, alias qui publico non subvenit, ut quod ex præcipuis rebus est, exempli gratia, ut bellum sustineatur, perdit post illa cum interitu Reip. honorem & facultates: uti nobili illi Romano usu venit, qui cum Roma oppugnata & ab Hispanis defensa solum centum aureorum Clementi mutuam offerret, postea spoliatus fuit, passusque honoris est dispendium, & insigne rerum suarum damnum. Guiciard. lib. 18.

Idque est, quando inopia vera & justa est principis, exigere à subditis quantum opus ipsi est, quod etiam non est prætextus: consistit enim prætextus in eo, cum inopia non adest, talis vero fertur, & esse fingitur. Qua in re latus patet Principibus campus, cum vel pericula occulta fingere volunt, vel sumptibus obvientibus dare nomen majus, quam convenit, aut re-



dituum diminutionem prætere: quæ diminutio identidem vera est, uti redditum Datarie Apostolicæ Sedis, quæ olim maximis sumptibus suppeditabat, absque ullo subditorum tributo. Nonnulli principes populum idoneum reddere voluerunt ad dandum, & ad possidendum, ut Trajanus, cujus Plinius mentionem facit in Panegyrico.

Quod ad id spectat, quod operibus premantur, prætextus est, aut eorum necessitas, ex. gr. quod ad incenia urbis tendant, aut exædificationem vacuorum locorum, aut cloacarum; qualis fuit magna, quam à plebe Romana fieri curabat Tarquinius superbus: aut quod ad ornamenta tendant urbis, ejusque magnificentiam: qua in re splendor futuri operis solatium est operariis, veluti de Romana scribit plebe Livius lib. 1. cum templum in Capitolio suo opere exstruerent: *minus tamen plebs gravabatur, se templa Deum exædificare manibus suis.* Gravitatis dehinc & pœnarum acerbitatis prætextus est, virtutis zelus, & odium vitiorum, & quod ea propter severe puniat Princeps delinquentes. Alius prætextus est, quod populus dura sit cervice, quales Moyses Hebræos vocat: quamobrem princeps prætere potest necessitatem gravium pœnarum, veluti equus rictu duro indiget treno fortiore & asperiore. Et propter similem subditorum pertinaciam creditur, quod Magni Moscoviæ Duces tanta severitate & feritate regant istas regiones. Alius prætextus ille est quem ferunt Attilam dixisse, esse se flagellum Dei; hoc est, esse se ministrum & executorem iræ divinæ. Quod sine dubio sapissimè verum est, *Nam castigabo inimicos meos cum inimicis meis.* Quod tamen Tyrannum non liberat a culpa. Enimvero & Hebræi auctores fuere mortis Christi adeo salutaris generi humano: ipsi tamen rei tam sanctæ impii & scelerati ministri. Nihilominus hæc opinio plurimos tutos reddit, veluti de Moschovitis scribit Alexander Guagninus in compendio rerum istius populi, cujus verba sunt: *Omnes denique tam proceres, quam consilarii, & totus equestris & spiritalis ordo, fatentur publice voluntatem sui Principis, voluntatem Dei esse, & quicquid Princeps quamvis perpetam egerit, ex voluntate Dei agere.* Ita ille. Hancque eorum opinionem pro argumento affert, quod nullus, qua etiam sit auctoritate, audeat uspiam contradicere sententiæ Ducis, quam etiam sit iniqua.

Idque dictum sit de prætextibus: addam solum, quod qui volu-



erit videre, quot prætextus partes sint, ad bene tegendum illum, & quomodo etiam detegatur, inspiciat opus meum *de conjectandi cujusque moribus*, quæ pars moralis est semiotica, sive de signis. Sunt nonnulli principes, qui prætextus despiciunt, neque modo alio cum subditis agunt, quam *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas*. Non illis placet consilium vetus. *Leonina pelli vulpinam assuere*. Volunt in cunctis rebus & ubique Leones apparere, etiam aliquando tigres, aut lupi, veluti antiquus Lycaon, qui ex actionibus tyrannicis sumpsit nomen græcum. Non socias habent binas deas, quas comites habere Themistocles, dicebat Andris, ut tributum novum exigeret, per suadam & vim. Sed isti unam solam retinent, quæ vis est. Nec juvat opponere istis deabus, quod Andri respondentes Themistocli adduxerunt, apud se quoque esse binas Deas, Paupertatem & Inopiam, à quibus illi pecuniam dare prohiberentur: enimvero instar hirudinum sanguinem sugunt, *Et plenum poto sanguine guttur habent*: subditosque relinquunt pura scheleta sine ullo succo. Tandem eorum axioma est,

*Oderint, dum metuant.*

quo utebatur Caligula: qui quoque cupiditatem suam palam faciebat, *Utinam populus Romanus unicam cervicem haberet*, videlicet ut uno ictu frangi posset. Hujusmodi principes palam Tyranni haberi volunt, & inimici sibi subditorum, qui identidem ruminant populi Romani responsum Caligulæ datum. *Nobis quamplures manus sumi tibi una modo cervix*. quod in semet ipso expertus est impius ille Imperator, nec minus Nero, Domitianus, Commodus & Maximinus, aliaque effera monstra. Est itaque securior observatio præcepti Aristotelis: *ne Imperans ostendat se alieno in parentes esse animo*.

## De Principatu Despotico.

### CAP. VI.



Ererum non omittam hic interponere contemplationem Principatus Despotici; conjunctus enim est cum tyrannico descripto, ni-



si idem est: ita intelligemus, an administratio violenta, qualis descripta est secundo loco admodum tyranno familiaris, apud ullum populum iusta esse possit. Principatum itaque despoticum si consideramus, origo vocis est ex voce *δεσπότης*, quæ nostro sermone *padrone* significat, latino *herum* & *dominum*, & referuntur ad mancipia, tanquam personæ subjectæ. Quare imperium despoticum illud est, quo subditi reguntur, & dominus servum ære suo emptum: cuius generis imperium apud Aristot. Tyrannis est, quando imperium unius principis est, & ita ille eam definit, (lib. 3. polit. cap. 5.) quod sit principatus herilis, in communiōe civili, hoc est in civitate: *μοναρχία δεσποτική τῆς πολιτικῆς κοινωνίας*. Cujus definitionis sensus est, quod Tyrannis consistat in regenda civitate instar domini. Nam administratio ad modum domini, societatis domesticæ, quæ inter herum & servum est, non est tyrannis, imo est iustum imperium: verum imperium pro more tyranni in civili societate, tyrannidem producit. Non satis intellexit mentem Aristotelis, vimque definitionis Petrus Victorius, & ideo eam male transtulit, mea sententia, hisce verbis, *quod sit Principatus herilis, & qui frangit communionem civilem*. Vertit quoque eam male Aretinus, quod sit *dominatus unius ad proprium commodum intendens*. Et quod pejus est differentiam sustulit *communione civili*, quæ differentia est specifica à logicis dicta, per quam definitio ad Tyrannidem restringitur: alias enim dominationi quoque servorum convenit: nam & hoc imperium pariter *Dominatus est unius ad proprium commodum intendens*. Est itaque Principatus Despoticus in civitate idem qui tyrannicus. Et ideo cum olim apud Latinos vox *Dominus* idem vellet quod *Herus*, non passi sunt primi Romani Imperatores se vocari Dominos, quasi ita principatus haberetur despoticus & tyrannicus. Augustus, ut Suetonius in vita ejusd. scribit, ejusmodi nomen horruit ut maledictum & opprobrium: neque passus à nepotibus quidem est, se dominum appellari, minus à populo, quem edicto gravissimo corripuit, quod eo nomine se vocassent. Et Tiberius offensus est, quod eodem nomine in Senatu esset appellatus. Verum est, quod tempore nomen mitescivit, ita ut privati ipsi se mutuo eo nomine appellarent, ut ex Martiale colligitur.

*Cum voco te Dominum noli tibi Cinna placere,  
Sape etiam servum sic resaluto meum.*

Cete-



Ceterum ante Senecæ tempora usus invaluerat, ut videre est ex epistolis ejus tertia, & 104. Idemque contigit nomini Græco *δεσπότης*. Quare mirum non est, si insequentibus temporibus vocarint multos principes Despotas, ut illum Seruicæ, Macedonæ, similesque. Modo principatus despoticus videtur, quod tacito consensu vocetur ille, qui cum per se legitimus sit, propter administrationem talis est, qui subditos habet ut sua mancipia, sibi tribuens dominium absolutum in facultates & personas ipsorum. Talem appellamus principatum Turcarum, talem plurimorum Asiæ principum, talem illum Moschovitarum. Jam quæritur, an talis principatus ullo modo possit esse justus. Per ea quæ superius allata sunt, & per fundamenta adducta videtur quod nihilominus sunt nonnullæ difficultates solvendæ, & quoque quædam declaratio addenda.

Difficultates sunt. Prima, D. enim Thomas, lib. 2. de reg. princip. cap. 8. sub finem, proponens dissertationem Principatus despotici hisce verbis: *nunc videndum est de principatu despotico, &c.* monstrat cap. sequ. ad Regium transferri auctoritate S. Script., quodque talis principatus in populum natura corruptum melior sit. Et subjungit, quod nonnullæ provinciæ propter aspectum stellarum aptæ sint ad servitutem, aliæ ad libertatem, ex quibus his monstrat convenire principatum politicum, ut supersit ideo alteris convenire despoticum: & quod ideo nonnullæ provinciæ ob naturalem situm propendeant ad imperium despoticum, aliæ ob incolarum pravitatem indigeant asperitate ejusdem regiminis. Quod despoticum imperium ad regium reducatur, probat, ut dixi, auctoritate S. Scripturæ, ubi cum a Samuele populus Israëliticus regem postularet, qui eos regeret, ut cæteri vicini ipsis populi, per eundem Samuelem ita Deus jus sit iis responderi. Hoc erit jus Regis: *filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi currus, & equites, & percussores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & Centuriones, & Aratores agrorum suorum, & messorum segetum, ac fabros armorum suorum: filias quoque vestras faciet sibi focarias, unguentarias, ac panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis: & tandem concludit, vosque eritis ei servi.* Quare Principatus despoticus, qui ille est, qui subditos pro servis habet, regius est, quoniam Deus ipse dicit hoc esse Jus regis; idemque pro-



proprius est nonnullis gentibus, tam ratione propensionis animi, quam ratione morum pravorum contractorum.

Altera difficultas provenit ex rebus ab Aristotele lib. 3. polit. c. 11. dictis, qui speciebus Regni quatuor quintam illam addit, ubi unus dominus est rerum omnium, quemadmodum paterfamilias domi suæ. Verba quintam Regni speciem describentia hæc sunt: ὡς περ ἑκάστου ἔθνους, καὶ πόλις ἑκάστη, τῶν κεινῶν, τεταγμένη καὶ τὴν οἰκονομικῶν. Si itaque datur tale Regnum, in quo unus ut paterfamilias, dominus est absolutus omnium rerum, qui inter alia imperium quoque habet in servos: ideo videtur quod regnum detur herile, & quod imperium quoddam herile bonum sit. Sed ulterius idem inquit Aristoteles, lib. eod. c. 10. *quod apud quosdam barbaros regna sint, que potestatem habent tyrannicam vicinam, quamvis legitima sint, & secundum eorum mores: cum enim magis sint serviles natura barbari Græcis, & Asiatici populi, Europæis, accommodant se, ut instar mancipiorum regantur.*

Nihilominus retinentes fundamenta jam posita, quod herile imperium tyrannicum sit, sub quo princeps subditos gubernat instar mancipiorum, conclusio esse debet, quod nunquam bonum sit, & nusquam locorum, neque apud ullum populum bonum sit imperium herile: nam ut Aristoteles inquit: lib. 3. pol. c. ult. *nemo natura natus est, ut tyrannicè regatur, quemadmodum quoque non sunt natura consentanea cætera prava resp. sed contra naturam.* Et ratio ab eod. Aristotele alibi prolata est: lib. eod. c. 4. *Nam resp. prava reguntur tanquam a dominis: civitas autem est communio hominum liberorum.* Repugnat itaque naturæ civitatis servili regi imperio: & ideo hujusmodi imperium non potest esse naturale ulli civitati.

Superest difficultates dissolvere in contrarium allatas. Et quod ad primam D. Thomæ, responderetur, quod Thomas vult, quod verus Rex imperet boni publici, non privati sui commodi gratia. Jam allata sunt illius verba huc facientia, doctrinaque: & cap. 11. lib. 3. reg. princip. confirmat illud auctoritate divina, afferens leges, quas Deus ipse Deuteronomio regi ponit, quæ speciatim continent, quod populum suum regere debeat, secundum legem divinam, quam jubet semper ante oculos habere: dicitque ut subditos habeat fratres: quare longe debet abesse ab eo, ut illos habeat ut mancipia. *Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos.*  
Quod



Quod si Rex quispiam declinet ad herile imperium, & tyrannicum, is Rex est nomine tantum, & forma Principatus, at non ratione administrationis: cum jam superius dictum sit, ratione formæ reip. posse unius esse speciei, & alterius ratione administrationis. Datur itaque Regnum herile, & tyrannicum in hoc sensu, quod ratione formæ & constitutionis suæ sit Regnum, quod dictum est esse ex actu primo, cum Rex factus sit, aut per electionem, aut successione, secundum instituta Regni. Commodus nominis ergo & formæ, justus fuit Rex, & Monarcha, sed actus secundi & administrationis ergo, plane fuit imperium ipsum tyrannicum Commodi: nam auctoritatem gravium Consiliariorum sibi a Patre relictorum conculcavit: & ut Herodianus dicit, Tyrannus evasit sceleratus, & impius.

Auctoritas S. S. est ibi ut narratio, non ut disponat de aliqua re, aut eam præcipiat: hoc est, loquitur de illa auctoritate, quam Reges ipsorum sibi sumpturi essent, & quem re ipsa sibi sumpserunt, non tamen suo approbans testimonio illa facta iniqua, quæ jam tum per Proph. Ezechielem severe reprehenderat. *Vah Pastores Israel, qui pascunt semetipsos, non greges pascentur à pastoribus. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis: quod confractum, non alligastis: quod abjectum, non reauxistis: & quod perierat: non quaesivistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.*

Ad argumentum alterum D. Thomæ, ab Aristotele desumptum, & consentaneum Astrologorum opinioni, quod ob varietatem regionum, propensio populi ad servitutem aut libertatem variet, ac si propterea regioni cuidam aut populo naturale sit tyrannicum imperium, respondeo, non esse mentem Aristot. ullum populum civilem natura servum esse: enimvero ex ipsius sententia, qui natura servus est, non regendus est in societate civili à Rectoribus Reip. sed à domino domestica obediendia: sed qui aptus est regi ut pars societatis civilis, is natura semper liber est, uti jam vidimus ex auctoritate Aristotelis *lib. 3. pol. c. 4.* sub finem. Verum quidem est, quod istorum alii refractarii magis sint ad ferendum tyrannicum imperium, si fortè in illud delabantur: alii faciles magis, ad cervices flectendas, ferendumque æquo animo illam violentam subjectionem. Et tantum significant Aristotelis verba.



Alia causa movens pervertitur est morum, quam corrigere non licet, nisi homines regantur virga ferrea. Quod iterum confirmat D. Thomas eodem opere de regimine principum *lib. 3. cap. 11.* Affero ipsius verba. *Interdum enim dum populus non cognoscit beneficium boni regiminis, expedit exercere Tyrannides, quia etiam sunt instrumentum divinae iustitiae: unde & quaedam Insula, & provincia, secundum quod historia narrat, semper habent Tyrannos propter malitiam populi, quia aliter nisi virga ferrea regi non possunt.*

Ad id primum respondeo, quod in isto loco modo citato D. Thomas responsum nobis dat in his verbis, *quia etiam sunt instrumentum divinae iustitiae:* hoc est, respectu executionis iustitiae divinae, ut castigentur flagitia populorum, & velut instrumentum illius Tyrannus bonus est, sed in se spectatus, & quantum ad suam intentionem pessimus est princeps. In sacris certe dicitur, quod *Deus facit regnare hominem hypocritam propter peccata populi.* Poena, qua Deus hoc medio populum afficit, iustissima est: at princeps hypocrita iniquus est in se spectatus, & in imperio suo, estque ideo reus divinae iustitiae. Quod doctrina huius responsi recepta sit a D. Thoma, probatur ex ipsius dictis *cap. 7. l. 3. de reg. Princ.* Quo in loco postquam dixisset, quod Deus faciat regnare Regem hypocritam ut populi flagellum, probat illud: enimvero primo & secundo aeo dominati sunt Cain, Nimrot, Belus, Ninus, & Semiramis, qui pravi fuerunt, & quia tales essent, ordinati à Deo fuerint principes, hanc unam causam tradit, quod *Tyranni sunt instrumentum divinae iustitiae ad puniendum delicta hominum, sicut Rex Assyriorum super Israeliticum populum, & Rex Gothorum flagellum Dei super Italiam, ut historia narrat.* Sed daturus tum aliud responsum, quod ad declarationem faciet conclusionis, tum quoque dicti D. Thomae superius adducti, quod aliter intellectum, dicerem falsum esse. Monendum itaque est, quod Rex verus, & bonus, & sanctus, si incideret in populum perverforum morum, qui monitis & disciplina non corrigendi forent, quod tum gravibus poenis ipsi esset utendum, & severitate magna, prout magis conducibile foret illos à suis sceleribus deterrere, sive paupertate, sive exilio, sive carcere, sive morte. Et sic faciens, attamen pia destinatione emendandi illos, non se locupletem faciendi, neque evomendi virus iracundiae suae, fungeretur officio patris, regisque non Tyranni:



ni: quemadmodum pater filium castigare potest, & severe quando pro meritis est: nam ut est in sacris, *qui virga parcat, odit filium*. Idque verum esse facile colligitur ex iis, quæ superius dicta sunt de ratione irrogandi poenas, earumque gravitatem: nam prout populus propensior est ad peccatum, eo irroganda illi erit gravior poena. Porro probatur ex definitione Regis, qui dominatur ad publicam utilitatem, quæ præcipue exigit, ut cives virtuosifiant, & quod hinc sequitur, ut à vitiis & peccatis abstrahantur. Qui itaque hoc fine utitur severis poenis, quibus ita opus esse humana cognovit providentia, committit regiam actionem, non tyrannicam: licet gravitas poenarum par illi sit, qua tyranni uti solent. Et hoc sensu verum erit dictum D. Thomæ allatum. *Interdum etiam, dum populus non recognoscit beneficium boni regiminis, expedit exercere Tyrannides, quia etiam hæc sunt instrumentum divina Justitia.* Hæc verba si referantur non ad Deum, sed principem mundanum, plane falsa sunt: enim vero princeps exercens tyrannidem, semper graviter peccat: sed si assumat tyrannidem, actionesque tyrannicas, nuda gravitate poenarum, à Tyrannis adhibitarum, & asperitate agendi cum subditis, absque interna pravitate finis, sed interno affectu paterno, poterit princeps nonnunquam iis uti, præsertim quando emendationem subditorum alia via consequi non potest.

Quod ad rationes ex auctoritate Aristotelis, eodem modo ambæ solvuntur: vid. quod Aristot. dicat, inveniri ejusmodi genera dominationum apud barbaros, at non illas ideo ut justas probat, nec ut natura consentaneas, sed minus violentas, quam forent apud Græcos & Europæos. Quod ad denominationem, quam inde facit regnorum tyrannicorum, jam dictum est Regna esse tantum nomine & forma, at tyrannica esse ratione administrationis. Et ideo Arist. 4. *polit. cap. 10.* pro speciebus tyrannidis posuit binas regni species *lib. 3. cap. 10.* expositas, quod certo respectu Regna sint, alio Tyrannides.

Sit itaque conclusio hujus capituli. Imperium herile, quod idem est, quod administratio tyrannica, absolutè semper pravum est, violentumque apud cunctos populos, apud nullos naturale: at si ejus materies spectetur, hoc est, asperum & durum imperium, bonum esse potest, eritque re ipsa bonum populis perverfis, qui aliter à flagitiis ad frugem reduci nequeunt: & si exerceatur destinatione correctionis populorum, erit revera regium




imperium, non tyrannicum, neherile, nisi forte in cortice externa, & primo intuitu ex sententia vulgi. Dux Cæsar Estensis, princeps sinceri & vere paterni in suos animi, mihi fassus est se coactum esse ut summo rigore versus habitatores terræ S. Felicis sibi subjectos, homines factiosos, & in odis mutuis obduratos, & feroces, ut ita eos imperio continere posset, & procul plurima facinora, quæ aliàs committerent.

Hic perpendenda est Bodini opinio, illaque Albergati lib. 2. cap. 2. differt, polit. qui admittunt Imperium Monarchicum, velut in mancipia, alicubi justum esse, adversum meam sententiam. Et Bodinus utitur fundamento regionum bello iusto occupatarum, in quas victor absolutum habet dominium, tam in bona, quam personas. Quod credo ita esse verum, & quod habeat absolutum in victos dominium, quodque i- deo eos vendere & ut mancipia habere possit: at si loco vendendi illos, aut ut mancipia aliorum mittendi, vel ad privatas domus, vel publica ope- ra, velut ad fodinas publicas, ipse associet illos civili societati, jam in liber- tatem asseruit, ita ut porro non ut mancipia eos habere possit, veluti liber- tos jam libertate donatos. Albergatus utitur locis Aristotelis à me ad- ductis, & sincerius expositis: Itaque nimium cedit Bodino Albergatus.

*De simulationibus ad honestandum, effici-  
endumque, ut appareat Iustus Status  
paucorum, qui Græcis Oligarchia est.*

CAP. VII.

 Equitur dissertatio de Oligarchia, sive de statu paucorum, ejusque  
fucio, ut iusta appareat. Communis prætextus, & funda-  
mentalis imperii paucorum, ab Aristotele lib. 3. pol. cap. 6. ex-  
pressus est, quod æquum sit, ut qui excellit alios, etiam in di-  
gnitatibus Reip. cæteris præferatur. Quare cum divites inopes divitiis  
supe-



superent, res cujus civitatis multum interest, æquum est, ipsos in administratione reip. præferri pauperibus. Hæ sunt vindiciæ sive juris assertiones divitum, fundamentumque ipsorum Oligarchici Status, quale fundamentum in Theoria, ut ita dicam, Aristoteles argumentis eodem refutat loco: quoniam nec divitiæ solæ concurrunt ad formandam conservandamque civitatem, cum & libertas, genus, virtusque illuc contendat: neque ipsæ ex bonis sunt, quæ primum concurrant. Et eerte secundum rationem & considerationem rectam non potest divitum fundamentum sustineri: at in usu talem nanciscitur vim, ut quasi impellat animos plurimorum ad credendum, & assentiendum: estque quando amor & divitiarum administratio in civitate crescit ultra modum: enimvero præsens ille in facultates amor efficit, ut divites suspiciantur, habeanturque præ ceteris cunctis honoribus digni. Addatur, quod cum divites suis clientibus pecuniam & bona largiuntur, hi ob privatum commodum copulatum jam cum dicta facultatum administratione, divitibus sua dant suffragia, si penes ipsos est, omnemque quem possunt, cedunt honorem. Id Romæ contigit, acquisitis Asiæ divitiis, quæ ante Marii consulatû, licet forma uteretur populari & suffragia in pauperum manerent, nihilominus propter venerationem erga divitias, & desiderium ipsarum, divitibus vota vendebant, neque ullus pauperum posthac ad consulatum ceterosque supremos magistratus poterat pervenire: quod etiam superius dixi. Idem modus rediit Pompejo florente, post suas in Piratas & Mithridatum expeditiones, ut scribit Salustius, in Jugurt quod tum paucorum potentia creverit: *Sed postquam Cn. Pompejus ad bellum maritimum, atque Mithridaticum missus est, plebis opes imminuta, paucorum potentia crevit. Hi magistratus, Provincias, aliaque omnia tenere.* Hic itaque justitiæ prætextus est in forma status paucorum. Sed reperitur alius & apparens magis, estque quod inopes sæpius vota sua vendant, aut in aliis similibus rebus turpiter cedent. Quare videtur maxime æquitati consentaneum, ut remedium tam præsentaneo malo feramus, certam statuere æstimationem bonorum, quam qui non habet, non sit capax ullius potestatis aut judicariæ, aut consultativæ in Rep. Est tamen verum, quod æstimatio bonorum, quam latine *Censum* vocant, & Aristoteles voce græca *τιμῆμα*, non constituat absolute statum paucorum; nam convenit etiam Reip. simpliciter ita dictæ, hoc est



populari bonæ, quæ ideo ab Aristotele etiam in Ethicis *lib. 8. c. 10.* dicta est Censipotencia: imo convenit quoq; secundæ speciei Democratix, hoc est, statui populari pravo, ut numerat, distinguitque Aristoteles *lib. 4. pol. cap. 4.* Status paucorum formatur ex censu tam magno, ut tenuis fortunæ homines ab administratione reip. semoti sint: ita vere legitur scriptum ab Aristot. *d. lib. 4. cap. 5.* describente primam Oligarchiarum speciem, & secundam, in qua census spectandus sit amplius. *Ἄλλο δὲ, ὅταν διὰ τὴν μνημάτων μακρῶναι ἀρχαί:* h. e. altera species est, cum è censibus amplius Magistratus sum. Ubi monendum est, quod in editione Aldina Græca pro μακρῶν legatur μικρῶν, quod sensum reddit falsum, & contrarium. Quod opumè monet Petrus Victorius: & versio antiqua legit græcum textum ut esse debet, & Victorius quoque. Convertit enim locum illum, ab honorabilitatibus magnis non parvis, ut *ἡμεῖς* illa veritatè semper honorabilibus, quamvis in eo non bene: quod per digressionem dictum sit. Ut ad rem redeamus: censum constituere, quo excludantur pauperes ab imperio speciem justitiæ habet; jam transitum facere à censu paulo minore ad mediocrem ad excludendum pauperes, apparet commodus sortites & paratus ad decipiendum commune iudicium, reddendamq; honestam speciem restrictionem, quam status paucorum patitur. Estque hic prætextus nonnunquam corroboratus ab incommodis, quæ ex paupertate plurimorum in imperio nascuntur. Quod modo accidit in illa communiõne, cuius forma Aristocratica est, ac temperata; nam Concilium, in quo potestas rerum publicarum posita est, quæ scilicet curæ civitatis relictae sunt, constat ex consiliariis 96. perpetuis, qui ex certis eliguntur familiis, (quod est Aristocraticum). Sed nonnulli ex populo quoque huic deliberationi interveniunt, quorum nomina singulis binis mensibus ex sacculis ad id paratis extrahuntur, eorumque auctoritas manet, donec alii hoc modo surrogentur, quod populare est. Jam quoniam plurimæ ex dictis familiis redactæ sunt ad summam pauperiem, eam ob rem deliberationes non bene fiunt: quod occasionem dedit cuidam Consiliario amore reip. ardenti cogitandi, reip. utilitatem allaturam census introductionem, ut consilarii inopes excluderentur: quod tamen nec factum, nec tentatum est, & fortassis etiam non succederet. Interea apparet, quod incommoda, quæ ex inopia civium pervenisse deprehensa sunt, etiam animos civium inclinent ad cen-

cen-



cenſum putandum bonum: quod eſt, deducere imperium ad ſtatum paucorum, aut illi proximum.

Alius prætextus imaginatio eſt, cujus Ariſtoteles mentionem facit, quod divites magis capaces ſint imperii, ob ſcientiam & bonitatem, quod docti eſſe ſoleant, quoniam ſtudiis operam dare poſſunt, & nobiles, nec cauſa eſt quam obrem iniquitates velint committere, eripiendo aliis ſua, cum non indigeant. Hæc ſunt verba Philoſophi: *Nam diſciplina & nobilitas magis ſolet inveniri in divitibus: præterea ea habent, ob quas alii injuſte agunt: unde fit, ut honeſtos, probosque ac claros hos appellant: ut ideo juſtum ſit, meliores, & doctiores, & conſpicuos magis dominari.* Hac opinione paucorum ſtatus commendatur, & facile eandem ob cauſam procedit ad denominationem Status Optimatum, quod jam tum Ariſtoteles innuit, cum diceret: quod Reſp. illam intelligens, quæ in ſpecie ita dicta eſt, quando ad ſtatum vergit paucorum, appellata ſit imperium Optimatum, ob perſuaſionem paulo ante dictam, quam de divitibus habent. Ita ut præſens prætextus illuc tandem tendat, ut iniquitatem ſtatus paucorum juſtitia nominis ſtatus Optimatum tegat. Quod velamen, ut melius detegatur, conveniet diſſerere fuſius de ſtatu paucorum, deque illo Optimatum, quod faciam ſequentibus capitibus.

Interea provenit alius prætextus ex origine ſtatus, quæ principio ab Ariſtotele deſcripta eſt, quod ſit jus belli, & victoria: hoc eſt, quando mutatio fit quod partes præliis mutuis decertarunt, & quod divites victoriam reportarunt; nam victores prætendunt reportaſſe ſe formam reip. in præmium ſuæ victoriæ. Ita ille inquit: *lib. 4. polit. cap. 11. Præterea ex eo, quia ſeditiones ſunt, & pugne inter multitudinem, & opulentos quibuscunque vincere contigit, hi neque communem amplius habent Reſp. neque æqualem, ſed quaſi victoriæ præmium reportant Reſp. obtinere, & alteri Democratiam faciunt, alteri Oligarchiam.* Qui prætextus illi, qui neſcit bellum diſtinguere à ſeditione, & civile bellum ab externo. juſtus apparet ex jure belli, & victoriæ, licet jus victoriæ revera non ſe aſſociet, at ſanè jus deſenſionis: hoc eſt, non admittere partem victam, niſi ſe dederit, ubi & vero ſe dederit, ita in civitatem admittere, & ad reſp., ut victrici parti ab illis nullum periculum eſſe poſſit, in tantum tamen habere ſocios, non mancipia. Sed prætextus in eo eſt, quod dixi.

Sequi-



Sequitur postea alius prætextus hoc modo: enimvero aut illa creatur ex corruptione pejoris reip., quæ Tyranniserit absoluta, aut quæ illi par est, aut nascitur ex destructione imperii melioris minusque suo pravi. Primo modo si divites fuerint auctores interitus tyrannidis, haberent causam speciosam ob beneficium populo præstitum reputandi se dignos imperio: nam verum est axioma illud Aristotelis, quod ille, aut illi, aut illa civitatis pars, quæ causa fuit civitati publicam iterum habendi potestatem, aspirat ad usurpationem imperii, cum illis videatur haud esse consonum rationi reliquos ipsis pares esse. Ita nobilitas Florentina exclusa ab initio a dignitatibus publicis, cum plebem juvisset in fugando Duce Athenarum, admissa fuit ad Magistratus, licet postea illa communio non diu duraverit: quam tamen mutationem acerbius tulit nobilitas, maxime ob memoriam publici beneficii patriæ ab ipsis præstiti, scilicet quod a tyrannide eam liberasset. Sex Magorum occisores, & ita eversores injustæ illorum tyrannidis, arripuerunt imperium, paciscentes ipsum postea unum habiturum illud, cujus equus prior mane loco destinato hinniret.

Ceterum si ex everfione reip. bonæ, aut minus pravæ, velut popularis, paucorum exoriretur Status, non posset alius jam dicti victoriæ prætextui addi, quam ille injuriarum acceptarum; veluti, si in Democratia, sive statu populari ordo divitum nimium gravatus, aut iniquis modis exercitus fuisset. Romæ lex Agraria à Gracchis publicata, ut contraria admodum divitibus, insurgere illos fecit, & ex motibus crescere auctoritatē paucorum potentum. Et usu venisse in nonnullis locis Philosophus testatur, partim quod fautores plebis voluissent bona opulentorum dividere æquè cum pauperibus, hoc est, facultates æquare, quod olim fecisset Lycurgus, & reditus divitum ad publicos applicare usus, vel omnes vel eorum partem nimis magnam, aut per falsas accusationes contendere, ut eorum bona fisco adjudicarentur. Hic prætextus injuriarum acceptarum ab adversa parte plerumque adhibitus est in mutationibus, ab ea parte, quæ prævaluit. Eam ob causam Florentini transferunt à statu paucorum ad regimen populare: quod ita scribit Leonardus Aretinus historicus Florentinus. *Mortuo Friderico, (de quo superius diximus) populus Florentinus odio habens illos, qui auctoritate Imperatoris superbe remp. irruerant, animum cepit libertatem recuperandi, regendique se ex arbitrio populari.* Hæc sufficiant dixisse de prætextibus ad honestandam formam



nam status paucorum. Restant fuci administrationis. Ceterum quoniam ex prætextibus hætenus recensitis, ad formam tendentibus, præcipuus est, venditare illum pro optimatum statu: qui optimatum status plurimum specierum est, & qui in usu est, differt quoque ab illo qui in Idea talis est, ut ita dicam, ut quoque status paucorum plurimum specierum est: quare ego duobus sequentibus capitibus agam primo de speciebus status paucorum, & postea de variis speciebus regiminis optimatum: quibus peractis, dissertatio de prætextibus ad finem perducetur.

*De speciebus status paucorum.*

Cap. VIII.



**S**Tatum paucorum jam vidimus illum esse, in quo dominantur divites, & numerum non esse differentiam essentiali illius Reipublicæ, sed divitias: quapropter si in quadam civitate accideret, ut divites numero superarent pauperes, & divites dominarentur, esset merito oligarchia & status paucorum: enimvero eatenus vocatur imperium divitum status paucorum, quatenus semper opulenti in civitate quadam minores numero sunt, quam pauperes. Hoc jam superius exposuimus, & contra Bodinum defendimus: & quoniam ab hoc fundamento petendæ sunt species Reipublicæ propositæ, bene erit factum repetere definitionem superius datam oligarchiæ, sive status paucorum, estque quando imperium pro fine sibi habet propositum commodum divitum, non vero commune bonum: at non poterit esse finis regiminis divitum commodum, nisi divites ipsi dominarentur: quare ut ponamus integram definitionem, dicemus, quod status paucorum, sive Oligarchia, principatus sit divitum, propter finem proprii ipsorum commodi. Quoniam itaque talis est essentia dominatus paucorum, ex varietate divitiarum, addita aliâ differentia, distinguit dictum dominatum Aristoteles *lib. 4. polit. cap. 5.* in species quatuor. Una est remissior, quando æstimatio bonorum, sive census, propter quem cives regiminis fiunt participes, tantus est, ut pauperes ab eo

E e

excludan-



excludantur: in quo modo quamplures capaces erunt reipublicæ; nam census non erit nisi mediocris, & ubi tot numero rempublicâ capessere possunt, & quibus una opus est, etiam privatis vacare rebus, sinunt leges dominari: & sic de dicta specie differit idem Aristot. ibid. cap. 6. postea his verbis. *Prima species reipublicæ paucorum est, quando multi rem habent, & non valde multam, qui eo pervenit, ut tantum habeat, admissus est ad rempublicam. Et quia multi sunt, qui participes sunt ejus status necesse est leges, non homines dominari. Quanto enim magis abfuerunt ab imperio unius, & neque tantum rei habuerint, ut valeant otiosi esse sine cura rerum domesticarum, neque adeo exilium, ut alii debeant publice, necesse est velle ipsos legem, non se dominari.*

Secunda species ab eodem Philosopho descripta est cap. 5. d. libr. est. que ait, quando ex censu magno magistratus sunt, ipsiq; eos eligunt, qui desunt: quod si illos eligant ex his omnibus, magis apparet optimatum status, si è numero exiguo, status est paucorum. Quam exponit sequenti capite his verbis: *quod si numero minores illi sunt, qui rem habent, majorem autem quam primi, oritur secunda species status paucorum. Cum enim majores habeant vires, putant quoque sibi plus deberi. Et ideo ipsi sunt, qui eligunt ex aliis ad rempublicam capessendam; cum enim illis ea desit vis, ut sine legibus regere non possint rempublicam, talem ponunt legem. Ubi monendum est primum illud, quod superius dixi, in nonnullo Græco codice mendum quoddam irrepisse in verbis hanc alteram speciem exprimentibus: nam loco ejus quod dicendum esset ex censu amplo, legitur ex censu parvo, hoc est pro *μακρῶν, μικρῶν*. Error deprehenditur ex Aristot. verbis jam recitatis, qui vult, in hac secunda specie majorem esse censum divitum, quam in prima, præterquam quod ad huc species magis restringantur, quas affert, cum tertia strictior & intentior sit secunda, & quarta strictior tertia. Alterum monitum, (est vero in hac rep. amplitudo census præfinita ut Aristot. intelligatur,) eo spectat, quod re ipsa excludantur, qui præfinito minorem habent censum: non autem quod necessario capaces sint, qui æqualem possident, nisi fuerint electi: & quoniam in ejusmodi casu ulterius progredi licet, & eligere, quicumque cum censu simul virtutes habuerunt dignas, tum vero inquit Aristoteles talem electionem futuram magis secundum statum optimatum. At si electio in præfinito paucorum numero steterit, (quemadmodum si è determinatis sorté familiis fiet) erit status paucorum. Quod ad census amplitudinem, senatorius Romæ post imperium ab Horatio fuit descriptus; lib. 1. ep. 8.*

Si quis



*Si quadringentis sexseptem millia desint,*

*Plebs eris.*

Tertia species est, quando aliis non patet aditus, sed respublica in iisdem manet familiis, ita ut filius patri succedat, attamen lege salva manente: h. e. quod secundum leges rempublicam administrant, non ex ipsorum arbitrio. Quod si divites eoque pertigerint, ut non solum filii parentibus succedant, sed imperent secundum arbitrium ipsorum absque alia lege, quarta erit species intentior, omniumque pessima. Quæ species oriuntur, quando facultates dominantium augentur, ut ipsæ redigantur ad numero minores dominos: ita tertia oritur species, & si ulterius adhuc augeantur, & major fiat numerus etiam clientum, nascitur quarta species.

Ad quas species ut omittam res plurimas dicere, quæ opus forent ad earum majorem elucidationem, pro præsentis meo proposito satis erit monuisse, quod prima species facile iusti speciem habeat: nam pauperes remove ab imperio, & artifices viles, est ex optima republica & appropinquat ad rempublicam in specie ita dictam, ubi etiam valet census non magnus. Superest solummodo finem proprii commodi palliare: enimvero si divites illi rempublicam administrarent ad publicum commodum, respublica foret bona non prava, neque illi foret opus simulationibus. Species cæteræ indigent adhuc pluribus fucis quanto fiunt peiores.

Sed hic adnectere oportet bina monita. Unum est, quod differentia specifica hic loci non sumitur methaphysica subtilitate, sed remissius; quemadmodum Aristoteles tradit ethicæ generali convenire methodum non admodum exactam & accuratam. D. Thomas dat quoque in scientia naturali nonnullam differentiam specificam minus accuratam, quod fieri ait propter applicationem ad materiam extrinsecam: quibus de rebus puto me disseruisse lib. de dolore cap. 29. (in parte morali physiologica.) Alterum monitum est, quod Aristot. identidem in regimine paucorum nobilitatem addidit divitiis: ita 4. polit. cap. 4. scribit. *Est oligarchia, cum divites & nobiliores pauci sunt, & imperant.* Ita quidem ut non solum futurus sit status paucorum secundum Aristotelem, quando ditiores imperant, (quo casu progenies mercatorum, quando ingentes divitias acquisi vere, particeps erit regiminis) sed quando cum divitiis & amplo censu nobilitas requireretur, etiam foret oligarchia. Quod usu venit in specie tertia ex modo recensitis: quando filii patribus succedunt; nam hoc casu administratio reipubl. restris-

Et a

Et est



Etā est in certas familias: ut hodie Cesena in. nonaginta sex familias, sed sine census conditione.

## Regressio ad fucos, & simulationes.

### Cap. IX.

**E**xpositis jam, distinctisque speciebus reipublicæ paucorum, & status optimatum, regrediar ad dissertationem de artibus & simulationibus. Dicamque principio, quod palliare statum paucorum possit velamine multimodis iusto: quando expejore & strictiore specie Oligarchiæ, reducitur ad speciem minus pravam, & remissiores, velut ex quarta ad tertiam, & magis si ad secundam primamve: & sic ex aliis speciebus strictioribus ad remissiores oritur velamen iustum, minimum magnam in partem. Est illud iustum, quatenus formam reipublicæ meliorem reddit: hoc est, illam minus facit pravam: & quoniam interdum non potest ad maiorem perducī perfectionem, ob naturam populi & conditionem civium, & quod dudum assueti fuerunt: nimiumque id conari, afferret periculum motuum civiliū: quare qui ad eum perduxerit terminum, etiam si minus bonum, tamen bene fecerit; veluti bene facit Medicus, qui morbum incurabilem elevat ad gradum altiorem elevationis, ad quem pervenire potest. Hocq; adju- mentum illud esse videtur, quod Aristot. in Politic. lib. 4. cap. 1. innuit dicens: *quare non solum illis Rebus, quæ scriptis traduntur, sed illis etiam, quæ re ipsa existunt, opem ferre posse, conventi viro civili, ut diximus.* Jam adju- mentum, cuius Aristot. ibi facit mentionē, non in eo situm est, ut illæ reducantur ad reipub. in Idea: ferret enim opē rebus, in libris traditis, velut quæ in Idea existunt: sed in illis opem ferendis debet esse occupatus, quæ re vera sunt: ob quam rationem igitur foret reductio iusta, non omnino, minimum maiorem in partem. Foretque velamen: nam ex comparatione magis pravæ, à qua ipsa recederet, faceret apparere reipublicā reformatam absolutè bonam, non solum minus pravam: non aliter quam qui assuetus foret videre solum av- ros ita fordidos, ut panem tantummodo comederent, fructusque, seque vestirent viliter, habitarentque in ædiculis sine ullo ornamento, & suppel- lectile.



lectile reliqua fordida: si postea videret habitare hominēs in ædibus mediocribus, instructis quamvis humiliter & suppellectile & victu bono licet mediocri, is habiturus foret hunc liberalem, qui ita se gereret; quamvis posset, respectu suarum facultatum, victu cultuque minus esse sumptuosus, quam ipsi conveniret, & sic esse avarus. Et tandem fundamentum illud, propter quod oratores vitia laudant, estque Aristot. præceptum lib. I. Rhet. cap. 9. ut exhibeant eas tanquam virtutibus vicinas: idem magis locum habet in proposita paritate apud populum, quibus quævis gratia etiam exigua, quam Princeps illis facit, aut principatus, major semper videtur, quam est. Quare dicere solebat Cardinalis S. Clemens Franciscus Blandratius dictus Cardinalis S. Georgius, populum esse instar infantum, qui à matribus uno pomodoro sedantur: ita quamvis minimam Principis concessionem illos quietos reddere. Sed ut revertamur ad prætextus & ad fucos merè tales, repeto illud, quod superius cap. 7. dixi, operam dare ut status paucorum, quo regitur civitas, status appareat optimatum: qui prætextus jam tanto erit facilior, quantum visi sunt status optimatum re ipsa existentes delapsos esse à statibus in Idea, quibus species Oligarchiarum viciniores sunt & magis similes. Secunda species ab ipso Aristot. est optimatibus ascripta, quando ab omnibus eliguntur, non ex præfinito numero. *Si ex omnibus eligantur, Optimatum potius est, si ex numero exiguo, Oligarchia. Prima species satis Aristocratia similis est. Secunda species, quando scilicet Respublica in specie dicta inclinatur ad Obligarchiam. Tertia & quarta species Oligarchia, cum alligatae sint certis familiis opulentis, opus est, ut à nobilibus regantur: nam antiquitas junctae erit divitiis, & splendori imperii: quare habebuntur pro imperio nobilium, quod secundum vulgarem opinionem respublicae est optimatum. Et aestimatio divitiarum, quae in Oligarchia valet, majoris aestimabitur à vulgo, pro desiderio communi divitiarum, quam fundamento regiminis: licet illa differentia essentialis sit Oligarchia.* Unde apperet quantum recedat a statu paucorum Respublica Veneta: cum optimis legibus & sapientibus institutis compresserit aestimationem divitiarum; (minimum irritamentum aestimationis: ) quoniam nullius requiritur census ad participationem Reip. neque nobiles alia veste indui possunt, quam habitu ipsorum civili togato, sine ullo fastu: ita quidem ut in eo



nulla sit differentia inter pauperes & divites, qui servos secum ducere possunt, nisi quidam ex præcipuis Magistratibus, qui secum duos, aut tres ad summum ducunt. Etiam naviculæ, quas ipsi Gondolas vocant, ut uno modo fabricentur: ut ita in usu externo divitiæ aliorum ruborem nobilibus egenis incutere non possint. Quantum dehinc ad regimen ipsum, divitiæ ferè parum ibi æstimantur, & si in iis excessus committitur, punitur. Ego inter alias admirandas constitutiones reipub. Venetæ has, mea sententia judico, quibus exterior splendor divitiarum reprimitur, esse plenas summæ prudentiæ, quibus sublatis magna oriretur turbatio in imperio illo temperatissimo, cui ultra modum convenit pungentem illum tollere pudorem, quem Cato damnabat, pro lege Oppia verba faciens, quemque (Liv. lib. 34. c. 1.) judicabat remedio legis esse tollendum, dicens: *Pessimus quidem pudor est vel parsimonie, vel paupertatis: sed utrumque lex vobis demittit, quum id, quod habere non licet, non habetis.*

Alius prætextus est natura populi, quasi forma, licet ex se ipsa non bona, conveniat tamen, bona que sit illi populo. Quod quamvis isto sensu verum non est, quod ex pravarum rerum, quædam secundum naturam conveniat cuidam populo: nihilominus ubi egit radices forma, & spacio temporis vires sumpsit, fit prætextum verosimile, estque facile pro vero creditum illud, quod publica autoritas, & exemplum duritatis persuadet.

Quod ad administrationem, distributionem honorum & Magistratum, veluti connexa formæ Reipub. eundem prætextum, quantum ad justitiam, quam ipsa forma admittit. Et quoniam in Oligarchia populo diffident, ideoque bellicosos esse nolunt & in armis exercitatos, at quidem divites volunt. Prætextus justitiæ in hoc est, ut pauperes suis exercitiis vacare possint: ubi divites, qui non opus habent sibi victum quærere publico ministerio vacare possunt, ad idque exercitio se aptos reddere. Aristotelis alium in hoc ponit prætextum; sed qui pertinet ad partem prudentiæ, de qua postea disseretur. Delatores quos Oligarchia, maxime quarta species, etiam ipsa disponit, facile eodem prætextu poterunt defendi, quem in Tyrannide diximus. In prima specie non habent locum, præsertim in mediis: in secunda parum, quod imperium sit satis remissum, quodque participantes reipub. multi sint, neque ut Tyrannus unus solus. Quare ipsi poterunt plurima quæ populus agit observare, ne dicam de clientelis, quæ cunctas machinationes poterunt revelare. SCO.



Scopus, ad pauperiem redigendi populum, non est Oligarchiæ necessarius, quod ab initio absorpserit majorem partem mobilium & immobilium bonorum civitatis: curandum quidem est, ne divitiæ opulentum transeant ad pauperes, quibus obviâ iri potest legibus manifestis aut fucatis. Prætextus justitiæ in hoc foret conservatio formæ Reipub. ad vitandum periculum mutationis, quæ absq; turbis publicis non potest fieri: cum politicum monitum verum sit, non fucatum, *Non movere quæta*. Neque mutari potest forma reipub. absque mutatione legum minimum earum, quæ ad rempub. spectant, quas leges *jus publicum* vocant legistæ. Et mutatio legum mala est propter rationem ab Aristotele allatam in censura Reipub. Hippodami Milesii lib. 2. pol. c. 6. Sed ad pauperes premendos, modus ille foret commodus, quem Florentini tolerarunt, licet in regimine maxime populari. Ante tempora Petri Albicij & Joannis Medicei patris Magni Cosmi, tributa solvebant pro foco; ita tantundem tenebatur pauper artifex quantum ditissimus nobilis solvere. Postea magis æque ad distributionem reductum est, ex æstimatione bonorum: ad quam reduxit collectiones, quæ in nostra civitate sunt, Pius Quintus, quæ initio maximam partem agricolis florentibus imponebantur. Et quemadmodum hæc ratio justa est, ita tributa gravia irrogare, & ea postea à foco exigere, onus est pauperibus nimis grave, aptumque ad illos penitus opprimendos; & ex adverso divitibus leve erit, respectu illius quod ex censu persolvere tenerentur. V. G. si à mille familiis, quot facile continebit Bouonia intra ambitum suorum murorum, exigenda essent scutorum (500000) quinquies centena millia, si colligerentur ex foco, cuique foco solvendi forent scutati quinquaginta; summa gravis & intolerabilis pauperibus, levis divitibus: sed ratione census, duo millia familiarum ex ditioribus possidebunt plus quam mediam partem bonorum, quam gens illa possidet, si itaque ex iis dederint duo millia, eaque dividerint inter se æqualiter, forent cuilibet solvendi centum scutati, & inter egenos forent futuri plurimi, qui nihil essent daturi, cum nihil possiderent. Ejusmodi itaq; exactio speciem justitiæ haberet, si à longo tempore exigi consuerit: & ulterius velamen hoc illius est, quod divites, licet imperium in manu habeant, ipsi quoq; idem persolvant: sed justitia est fucata, quoniam census non est æquus, sed sine proportione. Quod satis sit de prætextibus dixisse, ut actionibus Oligarchicorum sive potentum quasi justitiæ color detur. Cetera quæ dicta.



dicta sunt de pretextibus tyrannorum, majorem in partem regimini huic applicari possunt.

*De Democratia, sive statu populari pravo,  
ejusque speciebus.*

Cap. X.

**S**uperest ut consideremus, quo velamine justitiæ soleat, aut possit palliari forma popularis, illiusque administratio. Hic repetendum quoque est, quod Democratia sive status popularis, (ego promiscue utar uno alteroque nomine, quemadmodum usus sum status paucorum, & Oligarchiæ, & pariter Aristocratia & status optimatum voce antea sine discrimine:) definitus sit ille, ubi multitudo imperat ad utilitatem pauperum. Occasione hujus definitionis mihi videtur, notandam esse Bodini inconstantiam in definienda ead. Democratia: enimverò primo illam definit hisce verbis: & quando potestas unius summum est imperium in tota republica, vocabimus Monarchiam, si penes omnes Democratiam, si penes paucos Aristocratiam. Itaque secundum hanc definitionem, Democratia Respublica est, in qua summum ipsius imperium apud omnes est: sed alibi eam definit, quod sit respublica in qua major pars imperat. Ceterum sine dubio res satis diversæ sunt, omnes imperare, & potiores partem imperare: nam exempli gratia populus Romanus in centurias centum nonaginta tres divisus, secundum Dion. Halicarnasseum, quæ secundum Livium numero minores esse videntur, cum omnes suffragia haberent 193, erat imperium penes omnes: at si ultimæ exclusæ fuissent, potiores imperassent, non omnes. Dico potiores, nam v. g. in centuriis nonaginta & centum plures reperiebantur homines, quam in tribus solis ultimis: quare admodum inconstans est in sua doctrina Bodinus. Jam Democratia divisa est ab Aristotele in species quinque, (l. 4. pol. c. 4.) sequenti modo, & rationibus quæ subjunguntur. Prima species est, quod pauperes & divites pares sint in republ. h. e. quod tantum valeat eorum cujuscunque pauperis, quantum votum cujuscunque locupletis: unde provenit, quod cum pauperes numero potiores sint, consilia



filia secundum illorum vota prævalebunt, ideoque Respubl: erit popularis. Secunda species est, quando magistratus creantur ex censu, exiguo tamen, ita quidem ut qui censum habet, aptus sit ad adipiscendum illum magistratum, cui census deest, careat quoque illa potestate. Tertia species est, cum quilibet civis absque ullo censu particeps publicæ administrationis est, dummodo macula non notatus fuerit. Aristoteles qualis sit illa macula & turpitude, nusquam exponit. Ceterum si quoque turpitudinis macula notati participes sint, satisque sit tantum civem esse, dummodo secundum leges imperium administraretur, (quod in præcedenti specie fieri quoque opinione fingitur,) quarta est species. Sed si omnes cives sint capaces, etiam macula notati, & ex arbitrio ipsorum imperent, non secundum leges, formatur quinta species Reip. omnium maxime popularis, quam Philosophus Tyrannidi æquiparat, dicitque iisdem uti consuetudinibus. In ambabus enim peiores dominantur melioribus, & potestatem quam tenent adulescentes apud Tyrannum, in Democratia obtinent duces populi. In Tyrannide lex locum habet nullum, sed solum Tyranni edicta: ita quoque in dicta Democratia lex nihil potest, sed solum præsens deliberatio multitudinis. Pro confirmanda Aristot. doctrina adducamus Socratis exemplum, qui periculum subiit, ne à plebe Atheniensium capitis condemnaretur, quod nollet ipsi assentiri in suffragio unitim ferendo de condemnatione decem præfectorum militum; quod lege, & natura justum esset, suffragia de singulis partitim ferri.

Hic errorem noto, mea sententia, Petr. Victorii, estque, cum dicat Aristot. legem in quinta specie non habere locum, sed solum *ψήφισμα*, ut græca vox sonat, quam ego converti deliberationem, quæ tempore in tempus fit, hoc est, quæ suscipitur quotidie de propositis negotiis particularibus, & judiciis, ille vertit plebiscitum; Sed contra Aristot. mentem, qui eod. loco paulo inferius determinat, quod nullum *ψήφισμα* sit universale. Sed quis nescit plebiscita non fuisse æque ut leges universalis, neque iis intercedebat aliud discrimen, quam quod leges a magistratu patricio proponebantur, à populo confirmabantur: sed plebiscitum, licet quoque à plebe fuisset habitum, erat propositum à magistratu plebejo. Quare quoque principio non habuit auctoritatem ligandi alios quam plebejos: sed tractu temporis auctoritatem etiam in patricos extendit, ut inter alios



Tit. Livius affirmat. Ita quidem ut Plebiscitum æque sit universalis dispositio, atque lex est. Hæc sunt quinque Democratiarum species, in quas Aristoteles illam distinxit. Sed observavimus nos unam, sive ut rectius dicamus in hiltoriis legimus, quæ videtur quod ab Aristotele non sit cognita, estque Resp. Florentina, secundum formam popularem, quam principio habuit: sed ad quam rediit, & in qua se obfirmaverit Anno M. CCC. XLIII. ut narrat Joannes Villanus, lib. 12. hist. cap. 18. & Leonardus Aretinus, lib. 7. histor. fuitque quod nobiles ab honoribus essent exclusi, & publicis officiis. Res re vera iniqua, ut verbis satis exaggerabant iidem nobiles apud Aretinum: & verba ipsa ita sonabant. *Quantum ad se attinet, libertatem patria defendisse, propriam vero libertatem suam nequam neglecturose esse, visuros, aliquando, quinam sint, qui se non tantum innocuos, verum etiam bene de Rep. merentes, a dignitate excludere pergant. An vero Simofonta & Figinoq. profectis hominibus, quondam populi Florentini hostibus honores in Rep. tradentur? nobis autem vetustis, ac veris Florentinis civibus, per quos illi dudum victi sunt, honores in Rep. non tradentur? Et advena ac subacti dominabuntur, nos cives, victoresq. illorum, ipsis illis quos vicimus in propria patria serviemus? Et quis tantam iniquitatem & rerum repugnantiam non modo perferre sed & audire sustineat?* Sane admiratione dignum, non quod tam violenta Reip. forma defecerit, sed quod duraverit quoque per breve tempus, quæ tamen stetit per aliquot annos. Athenarum imperium maxime populare, à Platone in exemplum datum est libertatis popularis, nihilominus nobiles admittebat ad præcipua officia, Periclem, Niciam, Alcibiadem, similesque ad præturas & summos militiæ duces. Non erat Florentinæ Reip. Axioma populare ab Aristot. allatum tanquam Democratiis commune, quod cuncti cives deberent esse æquales in participatione Reip., ut libertas æqua est omnibus, quoniam excludebant præcipuos cives, & liberos, qui erant nobiles. Saniori utebantur consilio Romani, cum introducerent tribunos plebis adversus injurias potentum, qui Magistratus approbante ipso populo illas puniebat, quam cum Florentini vexilla darent societatibus vel cohortibus popularibus, ut armis se defenderent. Quo remedio accendebatur magis impetus



petus popularis, quem oportet potius in quavis Rep. reprimere. Et quoniam tribunatus aptissimum remedium fuit ad retinendam plebem Romanam, ne contra nobiles armis insurgerent, cum votis liceret uti, ea propter laudatus fuit à Cicerone in legibus suis, (lib. 3.) cujus verba sunt. *Nimia potestas est tribunorum plebis, quis negat? sed vis populi multo sevirior, multoque vehementior: quæ ducem quod habet, interdum lenior est, quàm si nullum haberet. dux enim suo periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem sui non habet.* Quæ sententia, quam sic vera, visum est in seditione populi Florentini erga nobiles anno 1343. ut ipsis adimerent participationem Reip. quam paulo ante concesserant. Quæ seditio violenta & armata, non sine sanguine, spoliatione, & incendiis variarum nobilium domuum descripta est fusius à Joanne Villano lib. 12. hist. cap. 20. Idem quoque accidit in seditione infimæ plebis dicta Ciompina in ead. civitate, veluti scribit Leonardus Aretinus, qui propter exemplum tale ferè iisd. verbis concludit, lib. 9. hist. *id perpetuum documentum esse potest præstantibus in civitate viris, ne motum & arma in arbitrio multitudinis devenire patiantur. Neque enim retineri possunt, cum semel inceperint frangum arripere, & plus ita se posse intelligunt, quia plures sunt.*

Sed ad propositum revertentes, tot sunt species rerumque popularium, hoc est, pravarum Democratiarum ab Arist. dictarum. Quinque secundum ipsius enumerationem dicto cap. 4. lib. 4. politic. Sed si illis jungatur Florentina, quæ nobilitatem excludebat à participatione regiminis, sex erunt. Dixi quinque existere secundum ipsius enumerationem, quæ habetur cap. 4.; nam sexto postea capite ejusd. libri, ubi fundamentum ponit distinctionis, & cujuscunque speciei popularis, tantum quatuor statuit: & lib. 6. quoque politices cap. 4. pariter quatuor solum constituit, fingitque non plures lib. 4. fecisse: unde colligo errorem esse commissum cap. 4. lib. 4. politic. ubi quinque illas ponit. Estque error in specie prima enumerata, quæ species non est, sed ejus conditio communis est omnibus speciebus reip. popularis. Conditio erat, divites & pauperes esse pari autoritate in ferendis suffragiis: unde fiebat postea, quod cum numerus inopum major esset, ipsorum voluntas in deliberationibus prævaleret.



Sed æqua votandi autoritas communis est omnium rerump. popularium, & in univcrsum fundamentum est Democratia, ut dicit Aristoteles pluribus locis, sed speciatim lib. 6. polit., ubi fundamentum ponens, sive scopum Democratia, quem libertatem esse dicit, ejusque partem imperare civibus & vicissim obedire: cum consistat iustum populare, quod paritatem secundum numerum habeant, non secundum dignitatem: unde sequitur, cum æquum sit cujusque votum, pauperes plus potesse in Democratia, quam divites, quod isti numero prævaleant. Hæc ibi dicit Aristot. tanquam fundamentum commune omnium specierum reip. popularis. Quare eadem paritatis conditio, ut ita dicam, ratione numeri non potest differentiam specificam unius speciei popularis reip. constituere. Finio, quod mea sententia error librariorum culpa acciderit cap. 4. lib. 4. politic. Et quam ille primam speciem dicit, dicendam esse in genere Democratiam esse talem, cujus postea sint quatuor species, quas enumerat, ita ut illam primam vocet, quam ibi textus secundam appellat: ut idem Philosophus illam primam vocat cap. 6. ejusd. libri 4. & lib. 6. c. 4. Progredior jam ad fundamentum divisionis ab Aristotele factæ duobus locis modo citatis, quod tale est. Plebis plures species sunt. Una est agrorum, altera artificum, alia in foro sedent, propolæ scilicet, qui emunt per summam, ut per partes vendant. Alia quæ occupata est in maritimis, quarum pars quædam militaris est, quædam mercatorum, quædam nautarum, quædam piscatorum, Alia pars operariorum, quæ manu victum quarit, cum facultates ipsorum tam sint exiguæ, ut otiosi stare non possint. Alia species eorum est, qui cum sint liberi, non tamen progeniti sunt à parentibus ambobus civibus.

Jam cum tot sint genera plebis, & fortassis adhuc alia quædam: si plebs agricola possideat quidquam proprii ex quo vivat, aut operam det pastui pecudum, sit prima species sec. enumerationem cap. 6. & 4. lib. 6. polit. facta, at secunda secundum 4. cap. 4. polit. videlicet illa, quæ secundum censum patrimonii sed exigui Magistratus eligunt, & in qua viget legum observantia. Nam cum isti de suo habeant, ex cultura, cui operam impendunt, & petunt censum suis facultatibus parem, neque curant conventus, qui boni publici gratia fiunt, nisi gravi de causa, tantoq; magis si ipsorum fundi longè distent ab urbe, ut laboriosum sit illuc contendere



tendere & temporis multi, itaque sinunt legem dominari: & cum ipsi non sint cupidi curarum publicarum, idoneos eligunt viros. Satis ipsis est ad ostendendam animis hominum insitam honoris cupiditatem, quod penes ipsos sit electio Magistratum, & delictorum punitio. Quod intelligendum est, si ad populum provocatio fiat, aut si rationem exigant à Magistratu: nam judicia ordinaria super delictis non possunt fieri in Comitibus popularibus adeò infrequentibus & ad habendum difficilibus. Secunda species (posthac numerum quaternarium persequar, secundum mentem Aristot. in locis binis posterioribus) est, quando prævalet turba forensis & urbana: sed hac lege, ut is, qui non ab utroque parente cive natus est, non possit participare rempublicam: quoniam eadem gens quoque opus habet, ut suis rebus det operam, ad lucrum faciendum: & pro hypothese habeatur, quod ex publico, propter functiones publicas, nullum capiat præmium: non libenter nec facile conveniunt, & sinunt propterea legem imperare, & Magistratui secundum eas judicium ferre. Tertia in re alia nulla discrepatio, nisi quod & illos admittat, qui non sunt nati ex ambobus parentibus civibus, & si alia generationis macula aspersi sunt, veluti spurii: quod fit, quando Duces populi, ut numerosum eum magis reddant & potentem, suadent, ut quilibet liberum habeat votum. Nihilominus in hac quoque specie non distribuitur ex publico plebi ulla pecunia in præmium, quod intersint publicis conciliis. Quarta species nascitur ex eadem plebe, quando ibi prævalet infima fax maxime, ipsisq; datur ex publico argentum in præmium, quod intersint conciliis: hoc enim pacto, cum fundos habeat nullos, quorum cultura, cura que ipsos distineat, & cum ex rep. capiant, ex quo vivere possint, semper parata est ad concilia venire: ideoque ad se cognitionem, & deliberationem rerum omnium pertinentium etiam ad Magistratus rapit, evertitque omnes leges, regens omne ex suo arbitrio: ad quod illam impellit suis persuasionibus & adulationibus sui duces. Visis speciebus Democratice, fundamentisque divisionis, jam tempus esse ad simulationes progredi.

*Corollarium.*

Talem esse conditionem Democratice, qualem describit Aristoteles, primæ speciei, ubi plebs agricola prævalet, exemplum Helvetiorum demonstrat:



strat : qui vacantes cultura agrorum , singulis annis semel solum conveniunt, prima Dominica mensis Maji, populariter : hoc est capita domuum singularum generatim, tumque eligunt Ammanum, qui caput est, aliosque ministros officiales publicos, quindecim numero, qui ipsorum civitates regunt magna autoritate, & in illo officio manent toto triennio. Verum quidem est, quod singulis annis unus defungatur suo munere, quare quoque singulis annis concilium popolare habetur, quod ulterius publicis rebus non se immiscet. Quare infra concludam, remp. Helvetiorum Aristocraticam esse, ex Aristocratiis usu talibus, minimum ex Rerump. genere in specie ita dictarum, haudquaquam Democraticam esse.

### De simulationibus & fucis Democraticæ.

#### Cap. XI.

**P**raetextum communem omnium rerumpubl. popularium jam dictum est esse libertatem omnibus æquam, & civitatis adscriptionem : quod cum æque liberi sint singuli, civesque, æque quoque participare debeant administrationem Reip. Quod fundamentum non esse firmum, & oriri ex particulari meriti æqualitate, & à Scholis secundum quid dicta, collata cum universali æqualitate præmiorum Arist. demonstrat.

Nihilominus si fundamentum juvabitur à longo usu, magnam recipit autoritatem : enimvero, ut alibi dixi, animus noster commovetur ad credendum, facile illud esse verum, quod exemplum vetus, diuturnumque persuadet, & cui publica autoritas fidem indubitam conciliare continuat : ideoque crescit semper reverentia erga principatum sub quo vivitur, ut sane superius dictum est. Quare qui diu vixit in statu populari, populum reverenter magis habet, & quod inde sequitur sensa mentis consiliaque ipsius, quam principio cum populo subjiceretur. Alius prætextus est,  
Populum



populum unitum idoneum esse magis ad imperandum, quam docti & prudentes seorsim sumpti, enimvero licet quilibet prudens, & eruditus plus videat quovis ex populo, & rudi litterarum seorsim capto; at tamen collectis partibus variæ sententiæ, quæ in singulis ipsis sunt, majoris scientiæ cumulum efficiunt, quam quæcunque tandem futura sit sapientia unius, aut paucorum doctissimorum prudentissimorumque hominum. Quod argumentum adductum fuit, licet per modum dubitandi, in gratiam populi ab Aristotele lib. 3, pol. cap. 7. his verbis. *Quod autem dictum est, oportere potius, ut multitudo summam potestatem habeat, quam optimi viri, pauci tamen: videretur solvi. & quandam habere dubitationem: fortasse autem & veritatem. Multos namq; quorum unusquisque minime studiosus vir est, tamen contingit, cum coierint, esse meliores illis: non tamen ut singuli, verum ut simul universi. Non aliter atq; cæna collata studio plurium suaviores sunt illis, quam unius sumptu structa fuerint. Cum enim multi sint, unumquemq; eorum usu venit habere in se particulam virtutis, & prudentiæ, & fieri, postquam convenerunt in unum locum, tanquam unum hominem numero, qui habeat multos pedes & multas manus, multos iidem sensus. Eodem pacto & circa mores & consilium. Quapropter existimant melius multi & opera musica & poetarum: alii enim aliam quandam partem, cuncti autem cuncta.* Argumentum hoc à majestate Imperii maxime autoritate comprobati, magnam justitiæ speciem in eodem imperio præ se ferre potest. Tertius prætextus est ex natura populi, quod scilicet propendeat in Democratiam, quo usus est ad persuadendam reformationem Florentinæ reip. in statum popularem, quam animo volebat, Paulus Antonius Soderinus his verbis: *Quoniam desiderium libertatis in hac civitate antiquum est, ac pene cum ipsis civibus natum: sintq; civium nostrorum rationes ad equalitatem, popularis reip. fundamentum maxime necessarium, accommodatæ: multitudinis imperium omnibus reliquis a nobis anteponendum esse, facile demonstrari posset.* Guicciard. lib. 2 hist. Quale fundamentum, quando affertur ad instituendam aut confirmandam



dam Democratiam, hoc est popularem remp. pravam, falsum est, & apparens tantum: quare simulatio est, propterea quod populi propensi ad libertatem, ducendi sunt ad popularem Remp. bonam, minime ad pravam. Attamen ob viciniam æquivocationis plurimum fictæ continet speciei. Alia simulatio est, ut se tueantur adversus injurias divitum & nobilium, propter quas plebs Florentina primores, ut illi vocabant nobiles, ab imperio exclusit. Et post fugatum Ducem Athenarum, cum à quatuordecim Viris, ad id electis, honores publici communicarentur, iterum nobilibus, plebs insurrexit, neque voluit ob metum injuriarum, qua a nobilibus, si per publicos magistratus potentes fierent, affici possent: Ita justitiæ prætextus fuit, propulsio injuriarum, quæ ipsi fieri possent, & quas metuebant. Hæc erant plebis argumenta à Leonardo Aretino expressa lib. 7. *Parum acceptæ fuit tum populo hæc imperii participatio, multumq; imposterum metuebat, quoniam ipsis videbatur, cives nobiles capita magnarum familiarum, quos omni publica potestate destitutos veriti erant, si illis Magistratus adhuc adderetur, haud ferendos futuros, ipsosque se ab injuriis non abstinere posse.* Ut ita prætextus tum fuit metus injuriarum. Prætextus satis manifestæ iniquitatis: tanto magis, quod remedio essent judicia popularia, more antiquorum Romanorum, qui magistratus erat Tribunis similis plebi concessa, & ita non habuissent in sinu potentes inimicos, a quibus perpetuo ipsis fuisset metuendum.

Prætextus propulsationis injuriarum non suspectatarum, sed re ipsa illatarum, & quæ continuo inferuntur, justior est, in deprimenda parte injuriam referente. Quare ut prætextui suspectatarum solum robur addatur, opus est colorare suspicionem re evidenti, & quod futurum est, quasi jam impendat, & simul remedia adumbrare civilia, quæ potuissent adhiberi, hac vicissitudine, quasi nemo ab ipsis futurus esset tutus aut liber. Alius prætextus est in nonnullis Democratiis illam venditare ut Remp. hoc est statum popularem bonum. Quod in specie prima perfactu est facile, quoniam solummodo discrimen finis illas intercedit, hoc est, an in commodum publicum, an privatorum administratur: quod enim superest, populum, qui præfinitum censum habet, potestatem habere eligendi Magistratus, ipsosque eligi pro ipsorum merito, id illi cum Rep. commune est.

Imo



Imo dicam ulterius, quod Resp. Helvetiorum, ut descripta est a Leandro Mutio, est Optimatum resp. (intelligendo ex Aristocratiis quæ in usu hodie sunt) nam de Rep. vergit ad statum paucorum, quæ tertia est species Aristocratia, quæ in usu sunt, secundum Aristot. loco citato. 4. polit. cap. 7. Resp. Helvetiorum, in quolibet tribu seorsim loquendo, jam dictum est, quod in popularibus comitiis, qui semel singulis habentur annis, eligant Ammanum, qui caput est reip. ejusdemque vicarium, qui secundus est ordine, octo consiliarios, quæstorem, & quatuor deputatos, qui in universum quindecim sunt, qui regunt statum tam belli, quam pacis tempore, mittuntque Rectores ad Castella, terrasque suæ tribui subjectas. Ad res civiles dijudicandas eligunt decem omnino, homines minoris existimationis, quam dicti quindecim, qui jus dicunt, fit verò provocatio ad illos quindecim: & pro hypothese habetur, quod in ipsa electione respiciat populus ad meritum, & an pares sint muneri ad quod eliguntur. Jam electio est ex statu Optimatum, & pariter quod virtus spectetur, ut quoque triennalis diuturnitas imperii, & exiguus numerus quindecim virorum, vel 25. cum iudiciis civilibus ex Oligarchia est, minimum quod ipsi cum Aristocratiâ commune est. Ceterum secunda, & tertia species Democratia etiam venditari posset bona, si plebs in morem Helvetiorum contenta foret auctoritate eligendi magistratus, condendi & mutandi leges: de cetero eligeret magistratus ex merito, foret resp. & si persisteret in numero exiguo, & perpetuaret illos, qui Remp. administrarent, neque plebs ulterius se illi immisceret, foret Optimatum: virtutem enim & populum misceret. Quarta dehinc species non nisi per vim posset persuadari, quod alterius sortis sit, quam Democratica, & præcipue si nobiles ab illa fuerint exclusi, ut apud Florentinos. Qua de re dixi superius, jamq. repeto, afferoq. ejus rei gratia locum Leonardi Aretini. lib. 7. histor. Disserens itaq. de electis a pleno cœtu ad Remp. corrigendam, pulso Duce Athenarum, ita scribit: *Vetus illud retentum, ut Priores summi magistratus nomen in civitate foret: Illud autem novum & maximi in rep. momenti, quod contra superioris temporis exempla nobilitatem ad hunc ipsum, ceterosq. reip. Magistratus recipiendam esse statuerunt. Causa fere hujus consilii dua potissimum ferebantur. Una concordia civilis respectus. Ha demum enim quietis pacatisq. civium animis, tranquilla*



*filam fore Remp. credidere, nulla in ea pars honore exclusa presentem civitatis statum odisse per suam injuriam cogeretur.* Quæ verba confirmant, quod ante tempora Ducis Athenarum nobilitas esset exclusa ab administratione reip., ut postea quoque secutum est, cum plebs retractabat participationem secum parem regiminis a deputatis ad correctionem reip. constitutis nobilibus concessam: licet moderatoribus istis data fuisset plena potestas. Administratio dehinc ejusdem ultimæ speciei, eand. cum Tyrannica habet conditionem: ut in multis locis Aristor. dicit, & lib. 6. polit. cap. 4. sub finem ita scribit. *Amplius cuncta machinationes Tyrannica videntur esse democratica. Quemadmodum licentia servorum, (qua quadamtenus potest esse utilis) & feminarum, & puerorum. Et sinere, ut vivat unusquisq. ut vult. Multi enim erunt, qui hujuscemodi reip. statum amabunt. Cum jucundius sit multis vivere solutè, quam temperanter.* Ex quibus verbis colligitur quoque, quod cæteras artes Tyrannorum imitetur eadem pessima Democratia: veluti Præceres deprimere, & potentes, non solum per Ostracismum, sed direptione ipsorum facultatum: quod in motu minutæ plebis Florentiæ ipsa animo intendit, quæ de re Aretinus lib. 9 dicit: *Nonnulli id moliebantur, ut facultates opulentium in prædam darent.* Et in motu totius populi erga nobiles, post exactum Ducem Athenarum, diripuerunt actutum bona plurimorum opulentorum. Horum & similibus factorum velamina ead. sunt, quæ tyrannica: quare quærantur superius ex capite quarto. Majori pœna afficere nobilem, quam plebejum, quod ejusmodi Democratia facit in nonnullis casibus, ei rei is prætextus est, cujus in sua oratione meminit Janus Labellus, Lib. 4. hist. Aret. & ego quoque superius locum citavi. Inter alia hæc fuere ipsius verba. *Sed illud imprimis necessarium puto, ut delictorum pœna contra potentiores augeantur. Ut enim, si quis gigantem ac pusillum hominem ligare velit, non eodem (credo) uteretur vinculo: sed gigantem quidem non nisi catenis, aut rudentibus, alterum vero chorda vel loro putaret compscendum.* Hic itaque prætextus est irrogandi pœnas graviores (attamen contra meritum, resque superius traditas, ubi de pœnis differuimus,) ob idem delictum nobilibus, quam plebeis. Reliqua pertinentia ad falsâ hæce



hæcce tegumenta & velamina, sino ut capiantur ex simulationibus tyrannicis & Oligarchicis, ut tamen ita formentur, ut convenienter Democratia. Superfunt prætextus, qui magnam in partem justis sunt, ut dixi in Oligarchis dari; qui summam huc redeunt, ut species pravi regiminis (loquitur modo de Democratico) ad meliorem speciem ejusd. Democratia reducatur. Exempli gratia, quarta species ad tertiam: at longe melius erit, si ad primam. Quæ reductio remedium justum erit, quousque redditur status melior, aut pravi plurimum ab eod. tollitur, quod in ipso erat. Erit vero simulatio in hoc, quod se venditare vult resp. illa pro non Democratica, sed pro Rep. in specie ita dicta, aut una Aristocratiarum, quæ hodie dantur. Cujus persuasionis fundamentum est, quod in Oligarchia diximus, videl. comparatio inter Remp. pejorem, quæ mutatur, & minus pravam, in quam transit. Cujus comparationis vim exposui eod. loco. Tantumque sufficit dixisse de justo apparente, quo se obvelat iniquitas rerum pravarum, quantum ad formam, & administrationem formæ præsentis. Progredior ad bina reliqua capita de distributione & jurisdictione commutativa.

### De distributione ejusq; fuce.

#### Cap. XII.

**D**E Distributione fucata non occurrit, ut aliud dicatur: enimvero cum dependeat a forma Reip. & illius administratione, quam jam tradidi in dissertatione de prætextibus & velaminibus formarum injustarum v. g. Tyrannicæ, Oligarchicæ, & Democraticæ, earumque administratione. Quare illuc redeundum erit, cum non conveniat repetere res easd. paulo ante dictas, quæ possunt, imo debent manere infixæ memoriæ lectorum.



De Jurisdictione commutativa, ejusque  
administratione fucata.

Cap. XIII.

**R**ogredior ad Jurisdictionem commutativam, ejusque administrationem fucata. Jam superius distinximus, parte 3. c. 2. in cura commutativa, principem nonnunquam unum esse paciscentium, idque respectu bonorum subditorum, aut respectu status aliorum, aut respectu fidei servandæ promissorum datorum: nonnunquam solum versari in suprema præfectura, ut inter paciscentes privatos justitia servetur: in qua præfectura officium ipsius est iudices bonos eligere, eosdemque freno justitiae timoris tenere in observantia justitiae, & prompta executione justitiae adversus potentiam magnatum.

Quod ad id, quod subditorum bona princeps ad se rapiat per modum præsertim tributorum, est prætextus publica necessitas, quæ à principe variis modis potest simulari. Verum est, quod quoniam utile hoc nimis spinosum est, non quælibet excusatio facile populo satisfacit. Ubi altos gerunt spiritus, opus est ut principes, aut quicumque habuerit summam potestatem, satis vivè illis ante oculos ponat necessitates: qua de causa duodecim coloniarum Romanarum tempore belli secundi Carthaginiensium denegarunt militem & sumptus reip. quod ipsis non videbatur necessum bellum continuare, sed illud pace finire. Hoc itaque casu opus est Dea suada Themistoclis, quæ necessitatem bene depingat. Sed ne hæc quidem interdum valet populum quietum reddere, cujus rei exemplum apud Tit. Livium lib. 26. habemus consulibus Levino & Marcello, quando populo commendabant triremium supplementum. *Ad id edictum, inquit, tantus fremitus hominum, tantaque indignatio fuit, ut magis Dux, quam materia seditioni deesset: & causa erat ipsorum paupertas. Per tot annos tributo exhaustos nihil reliqui præter terram nudam, ac vastam habere: cæca hostes incendisse.* Putabant causam justam, & necessitatem veram, sed non habebant tributum impositum justum, ob ipsorum pau-



paupertatem. Alius prætextus foret, si princeps ipse suas divitias impenderet, aut in aliis rebus. præcipui Magistratus, Senatores, & similes. In fervore nuperorum motuum Italiæ, qui jam gratia divina & prudentia supremorum principum compositi sunt, Cardinales sua ipsorum vasa argentea miserunt ad Castellum ut moneta argentea exinde cuderetur ad stipendia militibus persolvenda: & loco jam citato Tit. Livii legitur Senatores aurum argentumque omne ipsorum (servata sibi minima portione) tradidisse utendum Reip. in tanta necessitate rerum, quos nobiles equites sequuti sunt, & plebs libere. Et ita juvarunt publicam indigentiam, quod cum verè sit, non est simulatio, sed opus est charitatis in publicum, summa laude dignum. Quod si perpetua esset collatio principis & Rectorum, qui palam conferrent, & clam reciperent, simulatio foret, propter quam populo videretur justum tributum impositum extra ordinem persolvere, quoniam princeps, aut Rectores, & primi in rep. idem fecissent.

Sed reperiuntur alii principes, qui non utuntur alio prætextu, quam illo Majestatis, de quo supra verba fecimus: qua Majestate contendunt imprimere in animis subditorum opinionem, quod omne quod subditorum est, principis sit dominio particulari, ut ibi sane dixi. Quo prætextu utitur M. Dux Muscoviæ, quando personas, resque subditorum usurpat. Ita pariter Turca, ceterique principatus despotici: habentes ipsi subditos, ut servos ære suo emptos, quod quoque superius monui, & imprimentes subditis omni conatu opinionem servitutis. Qui sanè principes non ferrent in sibi subditis illam libertatem, quæ placuit Senatui Romano de uno ex Privernatium legatis: *si bonam pacem de deritis, inquit, & fidam, & perpetuam: si malam haud diuturnam.* Ita quidem ut ideo illis civitas fuerit data, licet nonnullis senatorum responsum arrogans visum fuerit.

### De Usurpatione Status aliorum.

Quod porro ad usurpationem illicitam aliorum Status: illicitam dico, nam quando vindicatio bona, & bellum justum, non opus est prætextu justitiæ, cum ipsa vere illic sit: (sexum, & septimum prætextum collocatum capite de usurpatione Tyrannidis supra in hac parte.) Etiam bini primi traditi sunt eod. capite, quorum iniquitatem ibidem exaggeravi. Nil-



hilominus nonnulli principes iis usi sunt. Axioma affert Tacitus, qui favet illis, quo usus est in consilio status Vologeses Rex Parthorum, ibidemque amplexum. *Id in summa fortuna equius, quod validius. Et sua retinere privata domus: de alienis certare, Regiam laudem esse.* Et jam dixi simili axiomate usum esse Solimannum; quod axioma per se plenum iniquitatis, etiã deprehensũ ab oculis non lippientibus, recipit tamen fomentum ex opinione majestatis potestatis summæ: nam quando opinio ultra humanum se elevat fastigium, videtur illud, quod superius quoque innui, quod princeps non minorem potestatem in personas resque sui status habeat, quam Deus supra universum: cui opinioni opitulatur, quando male intelligitur, quod D. Thomas in bono dixit sensu: Principem in Regno esse, quod anima in corpore, & Deus in mundo.

Caligula lunam invitabat ut de cœlo descenderet (in amplexus & concubitum) quasi Dea cum Deo; cumque se jactaret, quod ab ead. favorem muliebrem reportasset, Vitellium perconctatus est adulatorem suum callidissimum, numquid illud observasset. Ad quod ille profusa adulatione quasi attonitus oculis in terram demissis: *non nobis mortalibus convenit illud observare, quod Dii inter se agunt.* Similis huic adulatio animos occupat, qui opinione nimia Majestatis distenti sunt, quod videlicet, non licitum sit nisi principibus judicare de justitia actionum suarum, quodque ratio nulla, quam sensus ipsorum, præscribere illis valeat viam & regulam operandi, quodque ipsorum via plane debeat sublata esse, ab illa privatorum, ut quasi alii Dei dicantur. *Via mea sunt exaltata a viis vestris.* Concludo, quod prætextuum prætextus est, in usu quotidiano opinionem Majestatis potestatis summæ extollere, & animos subditorum ad servitutem deprimere, nam in animis ita abjectis actiones principum, aut supremæ potestatis vestitæ opinione Majestatis excedentis, semper magnificæ apparebunt: tam in binis illis partibus modo dictis, usurpatione scil. facultatum subditorum, & statuum aliorum principum, quam violatione fidei & electione judicum & arbitrium suum, nec non neglectione utilitatum privatorum, sive suam habeant, aut non habeant. Et ita videmus quosdam principes raro aditum dantes, cum tempus consumant commotum ad audiendum subditos, in joci & relaxationibus animi, magis excusatos esse, quam leviter accusatos, quod videatur, magnitudini



audini & felicitati illius fastigii licitum esse voluptatibus perfrui. Mihi videtur, quod fabula Persei alati, & capite Medusæ armati, referat principem, qui excedenti se armat majestate, & incedit, exclusâ ratione, suo arbitrio, & opinio majestatis Gorgonem, quæ stup dum reddit populum subiectum, cum intuetur; & ipse volans extra semitam humanam vadit, & rationis compotem, & qui in terris est, graditur per vias certas & stabiles, qualis sane progressus est rationis veræ & rectæ. Finio itaque hanc de prætextibus dissertationem, quoniam de fidei violatione etiam supra, differens de prætextib. contrariis argumentisque, satis dixi. Repeto autem, quod maximum fomentum omnium prætextuum pravorum principum, & principatuū est, quod diximus modo, extollere opinionē majestatis summæ potestatis ultra conditionem humanam, & animos subditorum deprimere ad vilem servitutem: qui sive prætextus, sive fundamentum, sive fundamentum prætextuum, quam longe absit a bona & vera Ratione regiminis, cui plane repugnat, tam manifestum est ex iis quæ dicta sunt, ut reperere illud foret supervacuum.

### De Justo extraordinario, sive supraordinario.

#### Cap. XIV.

**D**uo erant jura, & justa, unum ordinarium, alterum extraordinarium, sive supraordinarium, quæ ambo exposita sunt. Etiam declaratum est justum apparens, allatum pro velamine justii ordinarii. Superest considerare an justum extraordinarium, sive supraordinarium habeat apparens velamen diversum ab iis, de quibus jam disseruimus: & concludo quod non, sed reduci ipsius velamen ad istud axioma, quod quæcunque sit res, quomodocunque per se ipsa turpis, exercita in publicum commodum fiat laudabilis. Illud expressit Poeta ille (Tasso) qui commodum publicum junxit cum fide:

*Per*



*Per la fe, per la patria il tutto lice.*

*Propter fidem, propter Patriam cuncta licent.*

Quod axioma recipit æquivocationem alias significatam ex utilitate formæ status ob communem civium salutem, & civitatis, quæ ostensæ sunt diversæ esse res, & in pravis Rebusp. admodum differentes. Etiam monitum est, quod operari pro salute communi civitatis & propter ejusd. felicitatem politicam semper bonum est, dummodo non repugnet felicitati supernaturali. - Ostensum quoque est, quod quando res, quæ peragitur, ex sua natura prava est, ut v. g. adulterium, ob quemcumque finem bonum committatur, non sit bona. Hæ veritates nihilominus ex axiome dicto fluentes & prætextu, qui inde exoritur, manent apud plurimos offuscata, & tectæ. Apud Turcas fratricidium, & nepotum cædes, quod imperator ipsorum jubet, quoniã tollit metum schismatis & divisionis imperii; quæ per ipsos posset nasci, apud illos justa habita est. Sit itaq; conclusio: quoniam axioma, quod refert justum extraordinarium sive supraordinarium, injustum est, quod utile publicum, & status, reddat quamcunque actionem ad se directam justam. Et hoc axioma unum est ex iis, quæ in usu sunt, ad adumbrandum injustum ordinarium, h. e. contrarium ordinario justo, & prætextum qui adhibetur ad palliandum finem, de quo superius disseruimus. Quare Ratio Status apparens opposita huic justo, non differt à Ratione Status apparente opposita justo ordinario, sed ipsius pars est.

## Finis Libri primi.





te for-  
sa sunt  
m mo-  
sd, feli-  
licitati  
agitur,  
em bo-  
iomate  
os offu-  
quod  
nis im-  
Sit itaq;  
m sive  
quam-  
a est ex  
ntrari-  
m, de  
ra huic  
inario,



III. Die ...

Faint, illegible text in German, likely bleed-through from the reverse side of the page.

IV. Die ...

Faint, illegible text in German, likely bleed-through from the reverse side of the page.



162







103















CLARO  
MAGISTRI  
DE  
PRACTICA  
STYLII



Th

4313

